libus legatis pręſtandis certę perſonę & eius hę
redibus, eorum exactionem omnibus hęredi-
bus & eorum hęredibus conſeruari, etiam in
infinitum, ſecundùm glo. communiter appro-
batam. Sicut igitur ex parte hęredum legatarii
tale legatum annuum non eſt determinatum
tempore, pariter idem dici debet ex parte gra
uati,

uati,quòd nedum ipſe & hęredes ſui, ſed & hę
redes hæredum ſuorum teneantur, cum reci-
pientes ſemper prę ſupponant dantes,nec vnus
ſine altero velut correlatiui dari poſsint l.ſi.C.
de indic.vidui.tollen.
26 † Sextò conſideranda ſunt diligenter ver-
ba teſtatoris ĩ caſu noſtro,qui voluit p̄ſtari mo
naſterio Fratrum S.Pauli ſingulis annis 20.co-
ronatos ſemper, & in perpetuum. Nam dictio.
Semper,in primis ab eo prolata denotat tempo
ris perpetuitatem vel infinitatem, l.1.ff.ſoluto
matrimonio,vbi cum textus dicat. Dotis cauſa
ſemper & vbique præcipua eſt, Pontanus num.
17.prècæteris exponit ſemper,ideſt omni tem
pore & caſu. Idemq́; dicit Lexicon iuris in ver
bo ſemper, & in notab.caſu Bero.conſil.80.nu.
27 9.volum.2 de quo pondero † diligenter tex-
tum in l.ſemper,ff.de iure immu.vbi dicit Ca
liſtratus [ ſemper in ciuitate noſtra ſenectus ue
nerabilis fuit ] hactenus enim tempus non præ
figit à quo citra ſenectus fuerit veneranda,ſed
vt oſtendat tempus immemorabile,ſubdit[nan
que maiores noſtri penè eundem honorem ſe
28 nibus, quem magiſtratibus tribuebant] † pon
dero verbum maioribus, quod eſt ſupra trita-
uum. l.Iuriſconſultus. §.parentes, ff.de gradi.
tritauus verò dicitur eſſe ſupra nos in 6.gradu.
§.fina.inſtitu.de gradibus.quare ſi honor ſeni-
bus ſemper adhibitus obſeruabatur in præteri
tum tempore maiorum noſtrorum, dici debet
hoc fuiſſe longè ſuperius ab annis centum, &
à tanto tempore cuius initii memoria non exi
ſtat,igitur è cõtra quando dictio ſemper,reſpi
cit futurum, prout hoc legatum, dici debet ꝙ
in tempus indeterminatum, quod eſt infini-
tum, porrigatur, vt contrariorum ſit eadem di
ſciplina l.ſi.§.contra quoque, ff.de leg.tertiò,
cum vulgaribus.
29 † Et licet non ignorem, talem dictionẽ ſem
per ciuiliter intelligendam fore,ſecũdùm Bal.
in l aduerſus.C.de vſur.qui dicit illud verifica
ri in triennio,decennio vel vicennio.tamen in
caſu noſtro talis interpretatio tolerari non po
teſt,nec debet admitti; quia teſtator cautè ſub
iunxit. & in perpetuum.ad omnem dubitatio-
nem tollendam,vt ſenſus eſſet,ꝙ legabat 20.ſin
gulis annis ſemper & in perpetuum, ideſt ſine
temporis præfinitione & indeterminate.
30 † Probatur, nam dictio ſemper,generalis
eſt velut reſpiciens tempus & caſum,cum ſigni
ficet omne tempus & caſum, vt ſupra dixi, poſt
Pontanum, Lexicon iuris & Beroum. dictio
verò perpetuum, denotat tempus, & ſic eſt
ſpecies. ſed quando præcedit genus, & ſubii-
citur ſpecies reſpiciens actum legandi, ſpecies
adiecta dicitur cauſa dubitationis tollendæ, ſe
cundùm Barto.in l.quæſitum,§.ſi quis fundum.
ff.de fun.inſtr.& poſt eum Rui.conſi.56.nume
ro 8.uol.1.qualis eſt caſus noſter,ꝙ teſtator le
gauit ſemper & in perpetuum dictam ſummam
31 † Quòd autem verba illa,& in perpetuum
non reſpiciat aliquam determinationem tem-
poris,clarè probatur in l.purè.§.fina.ff.de exce
ptio.dol.vbi dicit̃, non ſicut actio de dolo cer-
to tempore finitur, ita etiam exceptio eodem
tempore danda eſt. Nam hæc perpetuò compe-
tit,ergo perpetuum tempore non limitatur, ad
idem textus egregius inſt.de perpet.& tempo.
act.vbi dicit̃. Admonendi ſumus eas actiones,
quæ ex lege, Senatuſve conſulto, ſiue ex ſacris
conſtitutionibus proficiſcuntur, perpetuò ſo-
lere antiquitus competere, donec ſacræ con-
ſtitutiones tam in rem quàm in perſonalibus
actionibus certos fines dederunt. Quod ergo
perpetuò competit finem non habet,& ſic du-
32 rat in infinitum, † & hæc eſt certè genuina na
tura verbi perpetuum,ſecundùm Albericum in
dictionario ſuo verbo perpetuò,Baldum conſi.
275.col.2.vol.1.Butrium conſ.48. vbi exponit
33 in perpetuum, ideſt ſine fine. † Quanquam
fateatur res reſtringi poſſe ſecundùm ſubiectã
materiam, ut eſt quando refertur ad actum re
ſpicientem vitam hominis: tunc enim limita-
tur & reſtringitur ad tempus uitæ illius, l.1.ff.
pro ſocio, quæ res caſui noſtro conuenire non
poteſt, nam certus homo moriturus eſt.l. 1.ff.
de conditio.& demonſtratio. at eccleſia nun-
quam,cap.libertas.10.q.2.c. ſi gratioſè. de re-
ſcr.in 6.Tiraquel.de priuile. piæ cauſæ. priuil.
105.colum.ſi.in prin.
34 † Septimò conſidero, quòd cum teſtator
fecerit legatum prædictum monaſterio fratrũ
S.Pauli.& ſic loco religioſo, dicitur indubitan
ter ad pias cauſas factum, ut voluit Specul. in
tit.de inſt.edi.§.nunc verò aliqua,verſ. & ſcias
ꝙ inter.Bal.in auct.ſimiliter,in prin. C.ad l.fal.
Roma.conſi.235.col.3.& poſt eum Mandoſ.ci
tans Tiraquellum in prę fati.tractatus de priui
leg.piæ cauſæ, col.1.Idemq́; ponit Burſatus cõ
ſi.47.nume.12.& Federi.Scotus reſpon. 3.lib.
primo Tomi primi. ſicut & Alexander de Ne-
uo conſi.14.num.4.vbi dicit, non eſſe dubium
quòd quæ relinquuntur eccleſiis vel hoſpitali-
35 bus,relicta dicantur in piam cauſam † ſicut &
quę pro anima relinquuntur,ſecundùm glo. &
Bart.in l.ſi quis Titio.ff.de leg.ſecundò, quod
in caſu noſtro dixit expreſſè teſtator,ſubiiciẽs,
ut dicti fratres ſingulis annis debeant celebra-
re unum anniuerſarium pro ſalute animę ſuæ.
36 † Hinc ergo ſequitur,tale legatum pinguius
interpretari debere, quàm aliud ad prę iudiciũ
hæredum, ut tradit Iaſ.in l.ſi domus. ff. de leg.
1.& eſt tex.ſingularis in l.Titia.§.fin. & ibi glo.
Bar.& alii. ff.de aur. & arg.leg.Soc.conſi.247.
col.6.Ferratius ſingul.515.& Hierony. Alban.
37 poſtea Cardinalis factus,conſi.ſi.nu.7. † cum
multas habeat prærogatiuas,de quibus per Do
ctores in l.1.C.de ſacroſanct. eccleſ. Romanum
in authen. ſimiliter.C.ad l.fal.Campeg.conſi.
156.n.22.primo tomo ultimarum uoluntatum.
Igitur cõcludi debet, ꝙ in infinitum debeatur.
Octauò ponderari debet diligenter huius
legati



legati cauſa,quod factum fuit, ut fratres illius
monaſterii deberent orare pro anima ipſius te
ſtatoris, & eam ſubleuare à pœnis purgatorii,
38 quibus ob peccata ſua detineretur † animæ
nanque defunctorum ſoluuntur à pœnis,obla-
tionibus ſacerdotum, ſicut precibus Sanctorũ
charorum,elę moſinis,aut cognatorum ieiunio.
c.animæ 13.q.2.& anima teſtatoris ſemper in
diguit,indiget & indigebit oblationibus & ſa-
crificiis illorum monachorum,donec in extre-
ma die iudicii ſententia ſalutaris vel horrenda
proferatur. ergo tandiu debet legatum durare
donec cauſa finalis & expreſſa, propter quam
39 factum fuit, durare poteſt † ſicut è contra vi
demus,quòd ceſſat legatum ceſſante cauſa pro
pter quam factum fuit,l.Seiæ, in prin.ff.de an-
nu.leg.l.Pamphilo.§.fina.ff.de leg.3.l.alteri.ff.
de adi.legat.Bar.in l.filio.§.matri, eodem titu.
Ruin.conſi.160.nume.17.uol.3. Berous conſi.
32.nu.3.vol.ſecundo.
40 Nonò † cõſidero,quòd opinio contraria ſta
re non poteſt, & miror quòd Doctores non ad
uerterint. Nam clarum eſt,quòd annuum lega
tum non vnum dicitur ſed multiplex,iura ſunt
aperta ſatis in l. ſi in ſingulos. ff.de annu.lega.
vbi dicit Paul. ſi in ſingulos annos alicui lega-
tum ſit,Sabinus,cuius ſententia vera eſt, plura
legata eſſe ait, primi anni purum, ſequentium
conditionale, ad idem tex.in l.cum in annos.
eo.tit.ubi repetens Paulus dicit, cum in annos
ſingulos legatur, plura legata eſſe placet,& per
ſingula legata ius capiendi inſpicitur, demum
confirmat Vlp. in l.cum in annos. ff.quan.dies
lega.ced. dicens. Cum in annos ſingulos lege-
tur, non unum legatum eſſe, ſed plura con-
ſtat, nec refert ſinguli aurei in annos ſingu-
los legentur. prout in caſu noſtro fuit ad vn-
guem,in quo viginti ſcuti ſingulis annis fuerũt
legati, id quod firmant omnes in l. ſi Stichum
§.ſtipulatio. ff. de verborum obligat.Soc.iun.
conſi.157.nu.16.vol.2.Natta conſi.548. nu. 5.
& ego dixi inſti.de donat.in princ.nume. 440.
41 † Huius autem rei ſuccedit vtilitas,quòd cũ
tot ſint legata,quot ſunt anni,tot ſunt neceſſa-
rię prę ſcriptiones,quot ſunt petitiones,quę cõ
petunt ad ipſa legata,vt eſt gl.not.& ibi Bar.&
omnes.C.de præſ.30.anno.Caſt.Alex. & Iaſ.in
d.§.ſtipulatio.& in l.de pupillo.§.ſi in pluribus
ff.de oper.no.nunc.Ruin.conſi.34.col.2.vol.2
& dixi loco memorato.n.461.vnde lapſis annis
30.dicitur eſſe prę ſcriptum dũtaxat legato pri
mi anni à quo triginta cucurrerunt. non au-
tem legatis annorum ſequentium, niſi poſt an
nos triginta ſigillatim decurſos. Quæ cum ita
ſint,neſcio uidere,quomodo legatum iſtud fa-
ctum monaſterio dictorum fratrum.20. ſcuto-
rum ſingulis annis,ſublatum ſiue præſcriptum
dici poſsit lapſu centum annorum, niſi reſpe-
ctu illarum ſolutionum,poſt quas anni centum
decurrerint,vnde ſi (exempli gratia) fratres S.
Pauli nunc inſtant ad ſoluendos ſibi ſcutos du-
centum pro 10.annis decurſis. vel ad 400. pro
annis 20.dici non poteſt extinctum fuiſſe lega
tum iam præter annos centum factum, cum li-
cet reſpectu temporis,à quo centum anni tran
ſacti ſunt, eatenus legatum præſcriptum dici
poſsit, à tempore tamen à quo nondum cen-
tum anni lapſi ſunt,ſecus dici debet, & ob id
peti poteſt, quare ſic conſiderando (meo iudi
cio) conuincitur opinio contraria Bartoli
& ſequacium,& hæc iuſtificatur.
42 † Quæ licet ex prædictis mihi ſatis clara vi-
deatur,concurrit etiam,quòd in dubio ſemper
eligi debet ea pars,quæ piæ cauſæ fauet,& reli
gioni.l.ſunt perſonæ.ff.de relig. & ſump. fun.
tradit Alex.conſil.190.& conſ.204.nu.17.uol.
6.Cur.Iun.conſ.35.col.3. Gozad.conſi.39.nu.
13.& Roman.in auct.ſimiliter.C.ad leg.fal.di-
cens ex pluribus probationibus, vel ſententiis
repugnantibus illam debere præualere,quæ fa
uet piæ cauſæ.
Sola ſupereſt difficultas in tollendis contra-
riis, & miſsis auctoritatibus illius opinionis,
quas æquant,ne dicam ſuperant, allegatæ pro
hac parte. venio ad rationes, & in primis non
obſtat æquiparatio legati annui, & uſufructus,
iũcto quòd legatum uſufructus ciuitati relictũ
non durat præter annos centum,ergo nec lega
tum annuum factũ eccleſiæ, cum ciuitas & ec
43 cleſia parificentur. † nam talem æquiparatio-
nem confutant omnes doctores hanc partem
tenentes, potiſsimè uerò Iaſ. in l.2. in prin.ff.
ſol.matri.per l.in annalibus.C.de legat.iuncta
l.antiquitas.C.de uſufr.primo namq́; loco di
citur. In annalibus legatis alicui & hæredibus
eius præſtandis,exactionẽ competere omnibus
hæredibus & eorum hæredibus, & ſic legatum
diutius durat. At ſecundo loco videmus, fundo
cuidam legato, remanente uſufructu penes hę
redem, primum duntaxat hæredem illum con
ſecuturum,ſicq́ue reſtringitur uſufructus apud
primum hæredem. Quare patet ex illis duabus
legibus annuum legatum, & uſufructus difer-
44 re. † Nec ſine ratione differentię res procedit
ut declarãt Bal.Salyc.Fulg.& Iaſ.in d.l.in anna
lib.quia ſi quãdo quis acquirit uſufructum pro
ſe & hæredibus,intelligeretur de hęredibus in
infinitum, proprietas eſſe penitus inutilis, ex
quo uſufructus non eſſet vnquam ad eam re-
uerſurus.l.4.§.ne tamen.ff.de uſufr. quæ ratio
ceſſat in annuo legato,puta ſcutorum 20.velut
in caſu noſtro, cum prę ter illam ſummam prę-
ſtandam non deſit utilitas reſidui penes hęre-
dem,quam conſequitur. Sed & aliter obiecto
reſpondet Ripa in d.l.ſecunda,quòd uſufructus
eſt ſeruitus perſonalis ſeu mixta, quę debetur
à re perſonę.l.1.ff. de ſerui.& ſic uſufructus reli
ctus ciuitati vel eccleſiæ cenſetur relictus per-
ſonis tunc incolis,qui incolę uiuere non poſ-
ſunt prę ter annos centum, meritò non ultra
porrigitur, quæ ratio ceſſat in legato annuo.
45 † & ad tex.in l.in ſingulos.ff.de annu.leg.illius
fructui.

ęquiparationis auctorem dum Gaius dicit ( in
ſingulos annos relictum legatum ſimile eſt uſu
fructui.] dico,ꝙ procedit quando relictum fuit
certæ perſonæ,puta Titio vel Seio in ſingulos
annos,quod patet ex ratione,quam ſubdit Ga
ius[cum morte finiatur]quæ conuenit perſonis
certis morituris.Ideo tali caſu legatum annuū
& vſufructus habent ſimilitudinem,cum morte
legatarii finiatur vtrunque . At non idem iuris
eſt,quando monaſterio,vel eccleſiæ , quæ nun-
quā moritur fit legatum annuum,& potiſsimè
verbis illis adiectis . ſemper & in perpetuum.
prout in caſu noſtro contingit , nam deuiat ab
vſufructus legato , nec iſto caſu procedit dicta
lex in ſingulos . quod bene notandū eſt ad eius
intelligentiam
46 † Non obſtat inſuper expoſitio Bolognini
poſt Ananiam conſi. 39.de legato annuo reli-
cto hoſpitali,quod exponit,ideſt hoſpitalariis,
igitur ad annos centum reſtringi,ſicut munici-
pibus factum.l.an vſufructus.ff.de vſufr.l.ſi vſu
fructus municipibus ff.de vſufr. lega. Quare ſic
in caſu noſtro dicendum videtur , hoc legatum
annuum monaſterio fratrum,fratribus cenſeri
legatum ad annos centum reſtringi. Nam ſi di-
cendo hoſpitali pro hoſpitalariis,uel monaſte
rio fratrum pro fratribus ,reſultarent certæ per
ſonæ,quibus diceretur vt particularibus reli-
ctum,poſſet conſideratio Bolognini tolerari.
47 † Sed hoc eſt falſum : quia quando fit lega-
tum ciuibus,cenſetur factum ciuibus vt vniuer
ſis,in quibus dicitur ciuitas conſiſtere.l. ciuita
tibus.ff.de leg. 1 .l.ciuibus. cum notat . ibi per
Bar.& alios.& in l.cum ſenatus.ff.de reb. dub.
Berous conſi. 21 .nu. 33.vol. 2.quo caſu non re-
ſultant perſonæ particulares ſed in uniuerſo,&
quæ ſemper durant ,ſicut populus , qui ſemper
idem dicitur , & hoc tempore qui ab hinc cen-
tum annis fuiſſet,cum ex illis nemo nunc viue
48 ret l.proponebatur.ff.de iudic. † vt enim de-
clarat Alberic.ibi.idem eſt populus , & vniuer
ſitas ciuium cuiuſque ciuitatis & loci, qui fuit
retro mille annis : quia ſucceſſores repreſen-
tant eandem uniuerſitatem. Sic & eccleſia iu-
dicatur eadem,quæ fuit retro mille annis,& ſe
des Apoſtolica non moritur ſed ſemper durat
in perſona ſucceſſoris. Igitur etiam quòd fratri
bus S.Pauli diceretur annuum legatum relictū
non inde ſequeretur,ut ad annos centū reſtrin
geretur,cum ſemper iidem fratres cenſeantur
qui retro mille annis fuerunt,cum ſucceſſores
eandem congregationem repreſentent. tanto-
q́ue magis additis uerbis , ſemper & in perpe-
tuum.Et quod dicitur in l. ſi uſufructus muni-
cipibus.de quibus ſupra,procedit in legato uſu
fructus,inter quod & annuum diſcrimen datur
49 ut ſupra declaraui contra Bar. † Ad aliud ue
rò contrarium ſecundo loco propoſitum,quòd
legatum reſtringi debeat ad annos centū ratio
ne infinitatis euitandæ , reſpondent Doctores
id eſſe uerum in dubio , ſecus ubi de mente di
ſponentis fuiſſe dicitur,ut admittatur infinitas
tunc enim toleratur, ut declarat Imol.in l.ſi ita
ff.de fideiuſſ. Alex.conſi. 145.uolumine ſecun-
do.Bero. conſ. 155.in princip. uolumi. 1. quod
hic uerificatur,relinquendo monaſterio fratrū
ſemper durabili . Item relinquendo ſemper &
in perpetuum.Et inſuper ratione animæ ſuę,ut
à pœnis ſubleuetur purgatorii . quod quando
futurum ſit,dum uiuimus & ſucceſſores uiuēt,
incertum eſt , niſi per declarationem Eccleſiæ
Catholicæ.Et ita reſolutis contrariis nitida re
manet & inconcuſſa cōcluſio pro monaſterio,
fratribuſq́ue prædictis iamdiu per me firmata,
nunc verò non mediocriter locupletata.

*Hippoly. Rimin. Ferra.*

## Pro Parrochianis dioceſis Regienſis.

### ARGVMENTVM.

Tractatur.Parrochianos ad certas primitias Re-
ctoribus ſoluendas cogi non poſſe , ſed ab eis
recipiendum,quod ſibi uidetur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Parrochiani tenentur ad primitias quæ ſunt in præ*
*cepto morali.3.*
*Ureq́; diuino debita.*
2 *Exigere fit ab inuito.*
3 *Deum recognoſcimus & illi ſeruimus per primitias,*
*decimas, & oblationes*
3 *Primitias tenemur ſoluere iure naturæ, diuinæ ſcrip*
*turæ, & legis euangelicæ.*
*Quod ſigillatim probatur.4.5.*
5 *Maria virgo turturas obtulit in templo.*
6 *Primitiæ ſunt de præcepto prohibitorio.*
*Quod obligat ſemper & adſemper.7.*
8 *Primitiæ fuerunt tempore Athenienſium & quales*
*eſſent tunc.9.*
*Deinde tempore Romanorum.10.*
11 *Conſuetudo licet diuturna non poteſt excuſare à non*
*ſolutione primitiarum.*
12 *Primitiæ ſpectant ad Rectorem parrochialis eccleſiæ*
*de iure communi.*
*Et ex diutina conſuetudine.13.*
14 *Primitiarum quid & quantum ſit eccleſiæ ſoluendū*
*variæ ſunt opiniones & conſuetudo eccleſiæ ſeruan*
*da eſt & ſecundùm eam Parrochiani tenentur.15.*
16 *Oblationum quaſi poſſeſsio ſeruanda.*
17 *Primitiæ non debentur Rectoribus qui ſe de redditi*
*bus beneficÿ alere poſſunt.22.*
18 *Primitiarum quid & quantum ſit ſoluendum eſt in*
*arbitrio parrochianorum, dummodo quid minimū*
*non ſoluant.*
19 *Aut ſumma præfinita dicitur intra quadrageſimam*
*& ſexageſimam*
20 *Qui modus quare ſic taxatus fuerit rō ſubÿcitur*
21 *Res de facili reddit ad naturam ſuam.*
23 *Parentes liberis ſuis tenentur alimenta præſtare niſi*
*filÿ*



*filÿ habeant vnde ſe alant.*
24 *Parrochiani ſunt veluti filÿ ſpirituales Rectorum*
*ſuorum.*
25 *Conſuetudo non poteſt allegari , quando actus ſunt*
*difformes*
*Sed ius commune ſeruatur.*
*Cuius exemplum datur.26.*
27 *Senatus Pedemontanus deciſione 99. declara-*
*tur.*
28 *Sententia qualis proferri debeat inter parrochianos*
*& Rectorem ſuper primitÿs.*

## CONSILIVM CCXX.

*Auxilium meum à Domino.*

DVBIA mihi viſa fuit intentio
hominum Villarum Ciuitalis ,
Quarantulæ & Mortizolli, quæ
ſunt in territorio Mirandulæ dio
ceſis Regienſis , quatenus in-
ſteterunt coram Reuerendo Vicario Reue-
rendiſsimi Epiſcopi Regii aduerſus Reueren-
dos Rectores eorum Parrocos , eos compel-
li ad deſiſtendum à moleſtiis & grauamini-
bus ipſorum hominum ratione primitię,quam
dicti Rectores captis pignoribus conati ſunt
à dictis hominibus exigere ſingulis annis in
rationem unius minæ frumenti à quolibet
bubulco & unius quartarii à quolibet Bra-
cento , ad quam primitiam dicti homines ſe
non teneri , nec obligatos eſſe contendunt.
1 † Nam totum contrarium de iure uerius eſ-
ſe uidetur , ut eſt gloſſa notabiliter,quam ſe-
quuntur Innocentius,Butrius , Abbas, Ancha
ranus & omnes , in capitulo primo , de deci-
mis , ubi dicunt , quòd primitiæ ſunt in præ-
cepto ſicut decimæ, & id probat Abbas pon-
derando textum in uerbo exigere , quod eſt
2 neceſsitatis: † nam exigere eſt ab inuito ex-
torquere,argumento l.fideicommiſſa §. ſi rem,
ff.de legatis tertiò. Idq́ue plenius confirmat
Andræas Hiſpanus in tractatu de decimis .
quæſtione quarta , ubi dicit, ſolutionem pri-
mitiarum eſſe de præcepto morali : inclu-
duntur enim ſub præcepto . Dominum tuum
3 adorabis & illi ſoli ſeruies: † quia per de-
cimas , primitias & oblationes Deum reco-
gnoſcimus & illi ſoli ſeruimus . Et ad pri-
mitias iure naturæ , iure diuinæ ſcripturæ ,
& iure legis euangelicæ tenemur , iure natu-
ræ : quia conſonum eſt rationi naturali ,
quòd mercenarius mercede ſua ſit dignus ,
quodque ſeminantes ſpiritualia , carnalia me-
tiantur , ſecundùm Apoſtolum . vt ſit ratio
4 dati & accepti, ſecundùm Philoſophum † iu-
re uerò diuino , cum ſit ſcriptum Exodi vi-
geſimoſecundo . Non apparebis in conſpectu
meo vacuus & Exodi decimo . Loquere filiis
Iſrael , ut tollant mihi primitias ab om-
ni homine . Et primo loco dicitur . Decimas
tuas ac primitias non tardabis offerre , pri-
mogenitum filiorum tuorum dabis mihi , &
de bobus & ouibus ſimiliter facietis . Sed in
Leuitico quoque ſcribitur . Cum meſſueri-
tis ſegetem , offeretis manipulos ſpicarum
primitiarum ueſtræ meſsis ad Sacerdotem ,
qui leuabit faſsiculum coram domino , ut ac-
5 ceptabilis ſit pro uobis . † Iure demum le-
gis euangelicæ ſuadetur in oblationibus e-
xemplo Chriſti , pro quo uirgo Maria obtulit
in templo turturas aut duos pullos colum-
barum , quod idem de decimis & primitiis
Chriſtus intellexit dicens . Reddite quæ ſunt
Cæſaris Cæſari , & quæ ſunt Dei Deo. Con-
cludit igitur ex prædictis Andræas Hiſpanus,
ſolutionem primitiarum eſſe de præcepto mo
rali quod ſi non fiat, obligat ad peccatum
mortale.
Et præter eum tenet hoc idem Berous
conſilio decimonono , columna prima , uolu-
mine primo , & Boerius latè deciſione du-
centeſimatrigeſimoſexta , columna prima ,
6 † dicens quòd primitiæ ſunt de pręcepto
prohibitorio,quatenus Exodi uigeſimoſecun-
do dicitur. Decimas & primitias non tarda-
7 bis offerre † quod præceptum obligat ſem-
per & ad ſemper , ideſt omni tempore, idem
q́ue tenet Petrus Rebuffi in tractatu de deci-
mis , quęſtione prima , numero decimoſex-
8 to , cum ſequentibus . ubi refert , quòd † A-
thenienſes cum ex ephebis deceſsiſſent , pri-
mitias crinium Delpho deferebant , & cum
antiquiores comam circa tempora , aut po-
ſteriorem crimen Apollini & Flaminibus ton
derent , æuo ſuccedente Theſeus anteriorem
capillum Delphis dedicauit,vnde Theſei ton-
9 ſura prodita eſt , † cuius exemplo iuuenes ,
cum ex ephebis exceſsiſſent anteriorem co-
mam Phæbo & Eſculapio , aut Libero primi-
10 tias obtulere † poſtea Romani adoleſcentes
magnæ indolis primam lanuginis barbam
Diis conſecrare uſurparunt , teſte Alexan-
dro libro Genial. quinto , capitulo decimo-
octauo , unde dubium non eſt , primitias
deberi , ſicut etiam firmat Bertrandus conſi-
lio ſexageſimoquarto , uolumine primo , po-
ſteriorum.
11 † Quinimmo plus addit Andræas Hi-
ſpanus loco memorato , quòd aliqua con-
ſuetudo quantumcunque diuturna non po-
teſt aliquos excuſare ab earum non ſolutio-
ne , cum ſint de iure diuino , contra quod
nec aliqua conſuetudo , nec ipſe Papa po-
teſt diſpenſare ſimpliciter , & perpetuò ,

ſecundum Innocen.in capitulo uenerabilis,de
confirmatio.vtil. Quod vltimum videtur ad-
uerſari nominatis hominibus in poſitionibus,
qui per teſtes probant, ſe nunquam ſoluiſſe
dictam primitiam, nec ab eis eam fuiſſe pe-
titam. Nam per hoc non intelliguntur libera-
ti, quominus teneantur ad eam ſtante deciſio-
ne prædicti Hiſpani loco memorato, quod e-
tiam firmat Berous in dicto conſilio decimo-
nono, poſt Abbas & Hoſtienſ. in capitulo in
aliquibus.de deci.cum aliis de quibus per eum
12 † Qui dicit etiam, quòd ius exigendi pri-
mitias ſpectare dicitur ad Rectorem parochia
lis eccleſiæ, tam de iure communi, ut in ca-
pitulo finali,de parochi.& ibi ſcribentes. Ho-
ſtien.in ſumma de decim.§.finali, circa finem.
capitulo cum contingat. & ibi glo.17.quæſtio
ne c.apoſtolicæ.de decimis. capitulo ex tranſ-
miſſa. & ibi Doctores de præſcriptio.capitulo
ſecundo, de reſtitutione ſpoliatorum in ſexto,
capitulo primo, de præſcript.eodem libro. c.
de decimis, & capitulo ſtatuimus, 16.quæſtio-
ne prima, gl.notab.in ſumma 13.quæſtione 1.
13 † quam etiam ex diutina conſuetudine,quæ
in ſolutione decimarum multùm operatur &
pollet dicto capitulo finali, de paroch.& ibi Ab
bas glo.in capitulo primo, de præſcrip. cum ſi-
milibus per Beroum, vnde parochiales eccle-
ſiæ, de quibus agitur, & eorum Curati Recto-
res dicuntur habere fundatam intentionem
contra omnes ſuos parochianos agentes ſuper
ſolutione primitiarum, prout ibi concludit
Berous, dicens eccleſiam parochialẽ poſſe con
uenire & cogere ad ſoluendum primitias poſ-
ſeſſores prædiorum & rerum, ſiue ſuo nomine
poſsideant, ſiue alieno colant. capitulo ſi quis
laicus 16.quæſtio.1.
14 † Et licet quid & quantum pro primitiis ec
cleſiæ ſoluendum ſit variæ ſint opiniones do-
ctorum, quas ſeriatim refert Berous in dicto
conſilio 19.columna ſecunda, tamen conclu-
dit ſeruandam eſſe conſuetudinem eccleſiæ,cũ
in decimis & primitiis conſuetudo multùm o-
peretur, quæ fuit ſententia Innocentii & Ab-
batis in dicto capitu.primo, de decimis, quia
(ut ille ſubdit) conſuetudo eſt optima legum
interpres l.ſi de interpretatione,ff.de legibus.
& capitulo cum dilectus.de conſuetudin. me-
ritò cum teſtes omnes Rectorum deponant,u-
nam minam frumenti fuiſſe ſolutam per bubul
cos, vnum verò quartarium per Bracentos,qui
teſtes fuerunt præſentes exactionibus, vel eas
fecerunt nomine dictorum Rectorum per quã
15 plurimos annos, de quibus loquuntur, † ſe-
quitur, ut idem debeant iſti homines & paro-
chiani ſui ſoluere & obſeruare, ut pulcrè con-
cludit Bertrand.in allegato conſilio 64. quòd
ſi rector Modernus & ſui præceſſores fuerunt
in pacifica & quieta poſſeſsione recipiẽdi quo
libet anno à ſingulis parochianis caput domus
facientibus id de quo in caſu, & ita conſueue-
rint dare & ſoluerẽ, talis conſuetudo ueluti ra
tionabilis ſit per eos ſeruanda, & quò ad illius
obſeruationem iudicis officio, hoc eſt Reue-
rendiſſimi Domini Epiſcopi Dioceſani cogi
poſsint, per id quod habetur in capitulo ad
apoſtolicam. & ibi Hoſtienſis, Ioannes An-
dræas, Cardinalis Florentinus, Butrius & Ab-
bas de ſimo. cum ſimilibus per eum, quæ be-
ne conferunt ad caſum noſtrum, & illum de-
16 terminant. † Et præter eum addo deciſio-
nem Senatus Pedemontani nonageſimonono.
numero vigeſimotertio, vbi loquens in mate-
ria oblationum uult eas deberi & ad eas pa-
rochianos cogi poſſe, ſi probata fuerit qua-
ſi poſſeſsio eas exigendi, quæ probata uide-
tur, cum plures teſtes deponunt, Rectorem
fuiſſe & eſſe iam longo tempore præterito,
excepta præſenti moleſtia, in pacifica poſſeſ-
ſione ſeu quaſi exigendi à quolibet parochia-
no habitante in montibus unam minam gra-
ni, & ab incolentibus planitiem unam mi-
nam uini occaſione parochionagii, de quo
loquitur, quod ſoluitur propter labores Re-
ctoris ſiue curati eccleſiæ in deferendis & mi-
niſtrandis ſacramentis in domibus parochia-
norum ægrotantium, & interrogati teſtes de
cauſis ſcientiæ, quidam reſpondent, quòd
uiderunt aliquos, quos nominant ſoluentes
plures uerò de ſolutionibus propriis loquun-
tur & ſuorum anteceſſorum, & dici audiuiſſe
quòd alii parochiani pariter ſoluerunt, non-
nulli uerò quòd nomine rectorum exegerunt.
Ex quibus concludit Senatus Pedemontanus
probatam dici conſuetudinem diutinam of-
ferendi & exigendi dictum parochionagium
ex doctrina Bartoli in l. de quibus, numero
vigeſimoquarto, ff.de legibus. Et ut ibi ple-
nius per eum, quæ pariter caſui noſtro fa-
mulantur, in quo de primitiis ſolutis & exa-
ctis pariter his modis teſtes Rectorum depo-
nunt. Et hæc ſunt, quæ pro Rectoribus con-
uentis in præſenti cauſa breuiter dici poſ-
ſunt.
17 † In oppoſitum uerò pro parrochianis
ſuis actoribus in primis adduci poteſt, quòd
per eorum teſtes aliquot conſtat, quòd Re-
ctores, de quibus agitur, habent & poſsi-
dent in eorum parochiis tot terras illis ſub-
iectas, ex quibus uiuere poſſunt, ſeq́ue cle-
ricum & ancillam alimentare, quo ſtante
uidetur dici poſſe, primitias eis non debe-
ri; tunc enim demum debentur, quando
Rectores indigent & ipſas petunt, uel extat
conſuetudo, ut tenet Alexander de Ales in
tertia parte ſummæ, incipiente prima pars fru
gum. Angel.de Claua.in ſua ſumma uerbo pri-
mitia, quos refert & ſequitur Boer.deciſ.236.
col.2.ſub nu.2.
18 † Secundò poſito, quòd dicti homines te-
nerentur de iure ad ſolutionem primitiæ,pro-
ut in contrariũ ſupra ſatis firmatũ fuit, Attamẽ





aduerti debet, quòd quid & quantum pro pri
mitiis eccleſiæ ſoluendum ſit,eſt in arbitrio ſol
uere debentium conſtitutum,dummodo mini
mum non ſoluatur. ita poſt Innoc. concludit
Abb.ĩ c.1.de decimis.idq́; tex. ille planè deter
minat,dicens[at verò primitiæ quas de frugi-
bus offerebant, non erant ſpeciali nomine diſ
finitæ] in qua quantitate dari deberent,vt in-
quit Glo.[ ſed offerentium arbitrio derelictæ]
per quæ poſteriora verba notat expreſſè Card.
Zabarella, quòd primitiæ quò ad quotitatem
non fuerunt in præcepto, & idem tenet Petrus
Rebuf.in tract.de decim.quæſtio. 1. nume. 17.
19 † aut ſi quæ ſumma ſolutioni præfinita fuit,
dicitur eſſe inter quadrageſimam & ſexageſi-
mam partem frugum, iuxta Diui Hieronymi
ſententiam, relatam in d.cap.primo, vbi Ho-
ſtien.Abb.Henric.Boic.& alii paſſim,prout te-
ſtatur & probat Bero.conſi.19.nume.10 uol 1.
20 † & ille ſoluendi modus fuit ob auaritiam
ſacerdotũ ſic diffinitus, qui nimis à populo in
primitiis offerendis exigebant,vt inquit Boe-
ri.deciſ.236.nu.1.& certè ſi Rectores, de qui-
bus agitur,non ita rigidi fuiſſent à quatuor an
nis citra,prout ante,ſuiq́ue præceſſores nõ fue
rant, ſed recipiendo quod eis dabatur,plus vel
minus frumẽtum vel fabam, pullos aut, operas
ſecundùm commoditatem ſoluentium, & de
his contenti remanentes, & taciti ſtantes, vti-
que ad hanc litem non deueniſſent homines
prædicti,ſed cum Biruarii fuerunt ad eos miſſi
per Rectores, qui voluerant ab eis minam fru
menti ſiue quartarium extorquere, prout erãt
bubulci vel Bracenti,coacti fuerunt hanc litem
inſtituere, ut ad priſtinum ſuum ſoluendi ar-
bitrium tam circa quid, quàm quantum iure
medio redigerentur. idq́ue plures eorum te-
ſtes deponunt, vt videri poteſt ex eorum lectu
21 ra. † quod de facili ſperant obtinere, cum
res de facili redeat ad ſuam priſtinã naturam.
l.ſi unus. §. pactus ne peteret ff. de pact. & ibi
dixi nume. 41. poſt Alexand. Iaſ.& Ripam in
l.ſi conſtante, ff. ſoluto matrimonio. Cozadi-
num conſi.101.numero 24. Grammatic. deci-
ſio.92.numero 15. & alios, de quibus per me
loco prædicto.
22 † Nec obſtant in contrarium deducta, nã
quod attinet ad primum latius deductum,
quòd primitiæ ſint de præcepto & iure obli-
gationis debitæ, reſpondetur, quòd illud
procederet, ſi Rectores iſti pauperes adeo fo-
rent, quòd non haberent vnde ſe alerent, at ſe
cus cum reditus terrarum ſuarum Parrochia-
rum ſufficiant ad eorum alimoniam modera-
tam & condecentem non autem ſuperfluam
&(da ſignore)ut dicunt aliqui teſtes, nam tali
caſu primitiæ non debentur,ut dixerunt Alex.
de Ales, Angelus de Claua. Boeriuſq́; ſupra ci-
23 tati. † Hæc planè Doctorum diſtinctio ſatis
probabilis & æqua redditur ex eo, quòd uide-
mus, parentes liberis ſuis teneri præſtare ali-
menta l.ſi quis à liberis, in principio, ff. de a-
gnoſcen.lib. ibi[alere parentes debere] & ta-
men ſi filius ſe exhibere poſsit, hoc eſt habeat
unde ſe alat, iudex æſtimare debet, ne non
debeat ei alimenta decernere, ut ibi dicitur
in §.ſed ſi filius. & ibi notat Bartol.citans a-
lia iura, de quibus per eum, quibus addo De
cium & dominum meum Riminaldum in l.de
alimentis.C.de tranſac.& deciſ.Neapo. deci-
24 ma columna ſecunda. † ergo uerſà uice pari
ter dicamus, hos homines ueluti filios ſpiri-
tuales Rectorum ſuorum, aliàs obligatos ad
dandas primitias, quando rectores non habẽt
tantum unde ſe alant. ad eas non teneri,quan
do redditus eccleſiarum ſuarum ſunt idonei
ut in caſu noſtro.
Circa uerò ſecundum de conſuetudine ſeruã
da certum quid dandi pro primitiis, ut in ca-
ſu noſtro ſupponitur probatum pro parte Re-
ctorum, dico contrarium uerius eſſe. Nam
tam per teſtes eorum, quàm dictorum homi-
num probatur, plures fuiſſe, maximè nomi-
natos in poſitionibus, qui eas non ſoluerunt,
nec ab eis petitæ fuerunt primitiæ, quoſdam
verò minus ſoluiſſe,alios aliud & aliud pro cõ-
moditate ſua, ut pullos, operas & id genus. a-
liis uerò pauperibus remiſſas fuiſſe dictas pri-
mitias,& eas in ſumma non habuiſſe certam ac
determinatã ſolutionẽ ſiue præſtationẽ. Et qđ
oblatum fuit ab hominibus à Rectoribus rece-
ptũ fuiſſe,eoq́; contentos fuiſſe,& acquieuiſſe.
25 † Quibus probationibus ita ſtantibus, non
poteſt allegari conſuetudo aliqua ſoluendi mi
nam & quartarium frumenti: quia ex diffor-
mi uſu populi non intelligitur intentio intro-
ducendi conſuetudinem probata, taliq́ue caſu
ius commune ſeruari debet,ut not. Bar.in l.2.
in princ.circa fi.ff.ſolut.mat.not.Alex.conſi.5.
26 col.2.& conſi.27.circa fi.uolu.quinto. † Et in
pulcro caſu conſuetudinis circa quid præſtan-
dum pro funeralibus, tradit Corn.conſil.196.
columna ſecunda, & poſt eum Decius conſi-
lio 215.columna ſecunda, præter quos addo
Beroum ſignanter in terminis noſtris in alle-
gato conſilio 19. columna tertia, uolumine
primo, qui dicit, quòd ex quo teſtes homi-
num & Rectoris difformiter & diuerſimodè
probabant ſolutiones primitiarum; quia ali-
qui dicebant conſuetum fuiſſe primitias ſol-
ui ad rationem duorum ſtariorum pro quo-
libet pari bouum, quidam uerò, quòd paupe-
ribus remiti ſolebant primitiæ, & quòd ali-
quæ erant poſſeſsiones pro quibus nihil ſol-
uebatur, & quidam minus ſoluebant, meri-
tò non dicebatur probata conſuetudo ſoluen
di primitias, & ideo non debebat attendi.
Quare ſic & in caſu noſtro concluditur ad
unguem, ubi teſtes, ut ſupra retuli, clarè
deponunt.
27 † Nec obſtat Senatus Pede. deci.99. quia
loquitur in caſu, in quo certa quaſi poſſeſsio

pro parte Rectoris erat probata, velút exigen-
di nimiam grani à montanis, & nimiam vini
à planiciem colentibus, & ſic quando certa
præſtatio & vniformis erat probata. At hic
nequaquam. vnde de diuerſis ad diuerſa non
fit illatio l. Papi. exuli. ff. de minor.
28 † Et ita remotis contrariis concludi poteſt,
partes Reuerendi Do. Vicarii Reuerendiſsimi
Domini Epiſcopi Regienſis eſſe debere, paro-
chianos, de quibus agitur, grauandos non eſſe
per ſuos Rectores ad certum quid pro primi-
tiis eis ſoluendum, & à dictis grauaminibus &
moleſtationibus dictos Rectores decætero ab
ſtinere ſub illis cēſuris ſeu pęnis, quæ domina
tioni ſuæ videbuntur. Parochianos verò tene
ri ad primitias eorum arbitrio ſoluendas, vt an
tea faciebant, caſu quo Rectores tantum non
habeant, quòd ali poſsint, alioquin ſecus, iuxta
ſuperius allegata.

*Hippoly. Rimin. Ferra.*

## Pro Illuſtre Comite Ioanne Antonio Montecuculo.

### ARGVMENTVM.

Quòd Comites infeudati cum mero & mixto imperio ac gladii poteſtate & omnimoda iuriſdictione proclamare & alia facere poſsint, pulcrè ponitur.

### *SVMMARIVM.*

1 *Comites conceſſo ſibi feudo cum mero & mixto imperio ac gladij poteſtate & omnimoda iuriſdictione proclamare poſſunt.*
*Sicut & ſtatuere contra ius. 2.*
*Et habentur loco Principis in eorũ territorio. 2. magis quàm præſidis. 5.*
*Et in eo poſſunt omnia facere, quæ poteſt Imperator per vniuerſum orbem.*
*Et eſt communis opinio. 3. 8.*
*Habentq́; omnia iura imperialia. 6.*
*Nihilq́; differunt ab Imperatore niſi ambitu minoris circuli. 7.*
9 *Statutum prohibens alienationem bonorum immob. in forenſes eſt fauorabile.*
*Eiuſq́; ratio ſubiicitur. 2.*
10 *Diſpoſitio dicitur fauorabilis, quando principaliter ob fauorem mouetur.*
12 *Comites proclamare poſſunt data ſibi auctoritate per ſententiam.*
13 *Rei iudicatæ auctoritas quanta.*
14 *Statuta recuſari non poſſunt ſæpius ſeruari petita.*
15 *Statutum vſu non receptum non debet attendi.*
16 *Relatio incerta non releuat.*
17 *Pluraritas præſumitur in actibus qui ſolẽt reiterari*
18 *Iudex ſucceſſor non poteſt declarare ſententiam dubiam præceſſoris.*
*Niſi ex veriſimilibus coniecturis. 20.*
19 *Dictio niſi ponit, & affirmat, quãdo p̃cedit negatiua*
21 *Statutum quando diſponit, quod erat conſuetum, addendo vel minuendo non dicitur diſpoſitum de conſuetudine ſed lege ſcripta.*
22 *Contrarius ſibi quis eſſe non præſumitur.*
23 *Qualitates ſtatuti probari debẽt qui eis innititur.*
24 *Statuto poſteriori vetus tollitur.*
25 *Qualitates vbi principaliter copulantur quælibet effectum per ſe producit.*
26 *Forenſes pro terris collectãtur, quæ in loco poßident*
27 *Statutum vetus non habens clauſulam derogatoriã per ſequens tollitur cum clauſula generali cõditum*
28 *Vltima derogant prioribus.*
29 *Probatio debet eſſe concludens.*
30 *Rei iudicatæ renuntiari poteſt nedum expreſſè ſed etiam tacitè.*

## CONSILIVM CCXXI.

*Auxilium meum à Domino.*

FVNDATA reperitur intentio
Illuſt. & magnifici Comitis Ioan.
Antonii Mõtecuculi contra ſuos
homines, quòd eis prohibere po
tuerit, proclamando, per eos alie
nationes fieri bonorum immobilium in foren-
ſes, & ad hoc pluribus rationibus impellor.
1 † Prima: quoniam cum ſibi, cæteriſque No-
bilibus Comitibus de Montecuculo fuerit feu
dum perpetuum conceſſum cum mero & mix-
to Imperio, ac gladii poteſtate, & omnimoda
iuriſdictione, ſine dubio poteſt proclamare, ſi-
cut & ſtatuere etiam contra ius, ut clarè deci-
dit Caſtren. conſ. 34. ſuper primo dubio, colum
2 na ſecunda uolumine 2. † ubi dicit, quòd Du
ces, Comites & Barones, & ſimiles habẽtes Do
minium temporale perpetuum habentur loco
Principis in eorum territorio, & in eo poſſunt
facere, quæ poteſt Imperator per vniuerſum
orbem, vnde poſſunt facere ſtatuta generalia
derogatoria iuris communis. ſicut & concede
re reſcripta contra ius cum clauſula non obſtã-
tibus, & illud conſilium Caſtrenſis ſequitur A-
lexan. conſi. 1. colum. octaua, volum. quinto. So
cin. conſi. 3. columna quinta, & latius conſi. 66.
columna 6. uolum. tertio, Dec. in cap. paſtora-
lis, colum. 2. verſ. immo quod plus eſt. de app.
& conſi. 191. colum. 2. Cur. iun. conſi. 1. colum.
10. verſ. Duces enim & Comites. Calca. conſil.
2. colum. 8. conſi. 7. col. 26. & conſil. 67. colum.
ſecunda, quos omnes refert & ſequitur Craue.
conſil. 135. col. 2. quibus addi poſſunt Decius
conſi. 403. col. 2. Andr. Sicul. conſi. 34. col. pen.
uol. 2. Cur. Sen. conſi. 48. col. 10. Iaſ. conſi. 101.
nu. 2. uol. 4. Cur. Iun. conſi. 61. nu. 9. conſi. 100.
nume. 3. Bertrand. conſil. 156. numero quarto,
uolumine tertio, Rip. lib. ſecundo reſpon. capi
tulo 3. in fine. Pariſ. conſilio primo, numero
25. uolum. primo. Brun. conſil. 3. col. ſecunda,
3 † quorum plerique aſſerunt, hãc eſſe commu.

ſicut



ſicut & Soci. iun. eos cumulans cõſi. 76. colum.
1. vol. 3. loquens de Domino Saxolli, idemq́; te
net Alex. conſi. 2. nu. 25. & 26. vol. 1. Rui. conſi.
200. nu. 2. & 3. vol. 2. & conſi. 130. nu. 20. vol. 5.
Afflict. in c. 1. ver. & bona comitentium. nu. 21
Quæ ſint Rega. quos addit Soc. iun. conſi. 126.
4 col. 2. vol. 3. † loquens de Dominis de Boiar
dis in Caſtris eis cõceſsis in feudum. & de Co
mite S. Vitalis, in territorio Parmę tradit idem
Soc. iun. conſi. 75. col. 2. vol. 4. & cum prædictis
quoque latè concordat Rol. à Val. conſi. 86. nu.
13. cum ſeq. vol. 1. citans inter alios Bal. in l. re
5 ceptitia, col. 1. C. de conſti. pec. † vbi dicit, ꝙ
Comes in Comitatu ſuo magis aſsimilatᷣ Prin
cipi quàm præſidi, & ideo quòd eius ſtatutum
dicitur ius ciuile & non prætorium. Hinc etiã
6 Natta conſi. 661. nu. 18. † dicit, quòd Duces,
Marchiones, & Comites à ſummis Pontificib.
creati Vicarii perpetui habent omnia iura im-
perialia & idem poſſunt in ſuo territorio, quod
7 Imperator in vniuerſo orbe, † & (vt inquit
Bald. in rub. Quæ ſint Rega.) nihil differunt ab
Imperatore, niſi ambitu minoris circuli, ſicut
Scapha differt à Naui. l. fi. ff. de fund. inſt. & dat
exemplum de Comite virtutum, de quo per
Ang. conſi. 217. & de Pandulpho Domino Fani
quem Sum. Pontifex conſtituerat Vicarium, vt
8 per Roman. conſil. 59. † concluditq́ue quòd
hæc eſt communis ſententia, quam confirmat
aliis quotis Senat. Pedem. deciſ. 155. loquens
de Duce Sabaudiæ & Comitatu Aſtenſi, Hier.
Gabriel. conſil. 163. nu. 18. & de Duce Vrbini,
Ferrariæ & Mantuæ, recognoſcentibus ſummũ
Pontificem vel Imperatorem tradit Menoch.
conſi. 92. nu. 32. ſicut & Cur. iun. conſi. 188. nu.
22. & conſi. 219. nu. 70. Quare ſecundùm hanc
receptiſsimam Doctorum ſententiam potuit
hic Comes Io. Antonius proclamare, quòd ſub
diti ſui non poſsint bona ſtabilia forenſibus a-
9 lienare. † tantoq́ue magis: quoniam tale pro
clama dicitur eſſe fauorabile, ſicut de ſtatuto
ſimilis tenoris ſcribit Alex. conſi. 116. nu. 8. vo-
lum. 6. Barb. conſi. 43. colum. 9. uol. 1. Rip. in l. fi
liusfamil. §. diui. nu. 80. ff. de lega. 1. & Soc. iun.
10 conſi. 25. nume. 10. vol. 3. † Idq́ue iure meri-
tò dici debet: quoniam diſpoſitio quælibet
cenſetur fauorabilis, quando principaliter mo
uetur ob fauorem alicuius, vt docent Bar. & alii
per illum tex. in l. qui exceptionem. ff. de cond.
inde. Alex. cõſi. 197. col. 1. vol. 7. latè Dec. Cur.
Iun. & D. meus Rimi. in l. 2. C. de in ius vocan.
& latius Tiraq. de utro. retra. §. 30. gl. 1. num. 5.
11 † ſed dictum proclama ſicut & ſtatutum mo-
uetur principaliter ob fauorem publicum, ui-
delicet vt bona conſeruentur inter ciues, nec
ipſi malè vtantur ſubſtantia ſua, transferendo
eam inter forenſes & non ſubditos, & vt onera
per habitatores melius ſuſtineantur, meliuſ-
q́ue prouidere poſsint eorum liberis & fami-
liæ, quo ditiores erunt, vt conſiderat Corn. con
ſi. 78. colum. 2. volum. 1. Alberic. in 2. par. ſtatu.
q. 2. col. 5. & Barba. in d. conſi. 43. meritò cenſe
ri debet tale proclama fauorabile, ſicq́ue per-
miſſum fieri per dictum Comitem.
12 † Secunda ratio dictæ poteſtatis Comitis
in proclamando fuit & eſt: quia ſibi conceſſa
fuit in 20. capitulo ſententiæ magnifici Conſi-
lii iuſtitiæ, vbi dicitur, eum poſſe facere pro-
clamata & cridas iuxta ſolitum & conſuetum
aliorum Comitum. At videmus (vt probauit)
Illuſt. Comitem Federicum Montecuculum, &
poſt eum filios ſuos Comites Montis Cineris
& aliorum Caſtrorum ſic proclamaſſe, ſicut &
Illuſt. Comitem Herculem Trottum in Caſtro
Pigneti & Prignani, & ego aliàs vidi procla-
mata ſimilia Illuſt. Comitum de Contrariis in
terra Vignolæ, Sauignani, & aliorum Caſtro-
rum ſuorum. & Illuſtriſsimi D. Alfonſi Eſtenſis
13 Marchionis Monticuli in eo loco: † Obſtat
igitur hominibus iſtis exceptio rei iudicatæ vi
gore dictæ ſententiæ inappellabilis, & quæ am
plius reuideri non poteſt, ut per Abbatem & a-
lios in rub. de re iud. & cuius auctoritas eſt tan
ta, ꝙ facit de non ente ens, & de falſo uerum
& de albo nigrum, vt tradit Iaſ. in l. Iulianus.
ſecunda. ff. de condictio. indebi. Speculum au-
reum in tertia & vltima parte, ſextæ partis,
numero 129.
Tertia ratio eſt, qua confirmatur poteſtas
dicti Comitis ex ſtatuto quod uiget in Comi-
tatu ſuo, de bonis immobilibus non alienan-
dis inter forenſes per ſubditos ſuos. iuncta
ſententia magnifici Conſilii, in qua condemna
ti fuerunt dicti homines ad recipienda & ob-
14 ſeruanda dicta ſtatuta, † Quinetiam concur-
rit, quòd bis & pluries homines prædicti fece-
runt inſtantiam, dicta ſtatuta ſeruari per officia
les deputatos à præfato Comite, unde nunc
non poſſunt ea recuſare. c. quod ſemel placuit.
de regu. iur. in 6. igitur pro d. Comite iudicari
debet: Sola uis (ut audio) fit ſuper quadam mo
nitione ſibi facta de anno 1535. de non grauan
dis dictis hominibus præter ſtatuta dictorum
Comitum & antiquam conſuetudinem dicto-
rum locorum, quæ fuit vendendi bona ſua im-
mobilia uolentibus emere licet forenſibus, ſic-
q́ue inuiolabiliter ſeruatum fuiſſe, vt per teſtes
probare conati ſunt, & cũ ferè ſint omnes pau-
peres, ſi forenſibus vendere non poſſent, priua
rentur facultate diſponendi de ſuis bonis, ut ii
15 dem teſtes deponunt. † Quibus ſic ſtantibus
duo ſequi uidentur. Primum, quòd ſtatutum
prædictum uelut in uſu non receptum non dẽt
attendi, iux. gl. & ſcribentes ubi Fely. in c. 1. de
treu. & pace. not. Bar. in l. fi. §. ſed cum antiqui-
tas. in fi. C. de cur. fur. & conſi. 144. iudex com-
munis Aſsiſii. Anch. conſi. 183. Alex. conſ. 132.
col. 1. uol. 1. Dec. conſ. 649. n. 8. Alterũ eſt, ꝙ po
teſtas ꝓclamãdi ĩ p̃ſenti caſu ſibi ſublata fuit ꝑ
dictam monitionem velut aduerſus antiquam
conſuetudinem ſuorum locorum, & per conſe
quens dictum proclama ſibi ſuffragari non dẽt

 vllo

16 vlo modo: † Hæc difficultas (meo iudicio)
ſubtiliter & pulcrè duobus modis ſedari poteſt.
Primò, quòd relatio magnifici Conſilii, vnde
colligitur dicta monitio de non grauandis di-
ctis hominibus pręter antiquam conſuetudinē
dictorum locorum, ambigua ſatis eſt, & in in-
certo vagatur, cum non aperiat de qua antiqua
conſuetudine loquatur, puta prohibendo di-
ctos homines alienare bona ſtabilia forenſib.
vel alia. & tamen potuerunt eſſe plures conſue-
tudines in dictis locis præter hanc, quæ nunc
17 allegatur: † quoties.n.tractatur de rebus vel
actibus, quæ, ſeu qui multiplicari ſolent, plurali
tas præſumitur, ut notat Dec.in c.in præſentia.
nu.13.de proba.quod etiam ſenſiſſe vr̄ Bald.in
repe.Paduana legis edita.col.pen.C.de eden.
18 & Rui.conſi.12.nu.5.vol.5. † Nec dictam re-
lationem incertam & dubiam in ea parte factā
per magnificos Cōſiliarios illius temporis poſ
ſunt præſentes eorum ſucceſſores declarare, vt
determinat Bal.in l.hac lege.col.pen.C. de ſen
ten.ex bre.recitan.ea ratione motus non ibi
ſed in d.l.edita.in 10.oppo.quia quæ ſunt ani
mi non tranſeunt ad ſucceſſorem, dicens hoc
eſſe nota.dignum. Idemque tenent Bal.Ange.
& Imol. in l.ex facto, in prin.ff.de vul. & pupil.
Bar.in l.inter ſtipulantem, §.1.ff.de uerbo.obl.
cum ſimilibus per Feli.in c.qualiter & quando
primo, nu.26.limit.3.de accuſ. Quòd ſi dicant
homines iſti, dictam relationem incertam de-
clarari ex ſtatuto antiquo per eos producto in
ſerto cum aliis cōmunium Farneti & Guſſoli.
vbi dicitur, quòd non poſſint uendere alicui ꝑ
ſonæ non ſubiectæ, niſi ſoluat collectas & ſuſti-
19 neat onera pro terris &c. † igitur ſoluenti col
lectas & onera ſuſtinenti poſſunt vendere: quia
dictio niſi, ſequens orationem negatiuā ponit
& affirmat, ut per Barto. & cæteros in l.actione
C.de tranſact. & ad hoc voluerunt tendere ſui
teſtes, dicentes conſuetum fuiſſe, quòd homi-
nes Farneti & Guſſoli potuerint vendere eo-
rum bona quibus uoluerunt etiam forenſi, con
ſuetum namque fuit vigore dicti ſtatuti, quo
ſtante videtur adhuc quòd magnifici D. Conſi
liarii præſentis temporis poſſint interpretari
dictam relationem loquentem de antiqua con
ſuetudine, videlicet alienādi bona in forenſes
20 uigore dicti ſtatuti: † quoties enim tractatur
de declaratione vel interpretatione, quæ faciē
da ſit ex ueriſimilibus coniecturis & actis. tunc
talis interpretatio cuique iudici committitur.
l.voluntatis. & ibi not.C.de fideicom. ideoque
talis interpretatio tranſit in ſucceſſorem obſcu
rè iudicantis, vt ſingulariter uoluit Imo.in l.ab
executore, in prin.ff.de app. & plenius ſequitur
Fel.in d.c.qualiter, loco citato.

Ego pariter huic motiuo reſpondeo, quòd
dici non poteſt Conſiliarios relatores intelle-
xiſſe de antiqua conſuetudine uigore d.ſtatuti
21 † quoties.n.lex aut ſtatutū diſponit id quod
erat conſuetum addendo uel minuendo, tunc
illud non dicitur de conſuetudine diſpoſitum,
ſed potius lege ſcripta, vt concludit Soci. in l.
l.2.notab.primo.ff.de uul. & pup. at illud ſtatu-
tum non ſimpliciter permittebat uendi foren-
ſibus, ſed ita demum ſi ſoluerent collectas & o-
nera ſuſtinerent pro terris & poſſeſsionibus, &
ꝙ illæ ſemper manerent obligatæ cum dictis cō
munitatibus pro dictis collectis & oneribus ſu
ſtinendis, igitur de tali ſtatuto nec Conſiliarii
relatores, nec teſtes hominum intellexerunt,
tantoque magis quòd de aliquo ſtatuto ꝓmiſ
ſiuo non fuerunt locuti.

Secundò confirmatur: quoniam iidem Con
ſiliarii in ſua ſententia de anno 1542. condem
narunt d.Comitem ad ſeruandum d.hominib.
ſtatuta iuxta relationem ſuam cum modifica-
tionibus tamen infraſcriptis, inter quas non
reperitur, quòd non poſſit prohibere uendi bo
na forenſib. nec ꝙ hoīes ſui vēdere poſsint bo
na ſua forenſibus. ergo d.Comes id prohibere
22 re poteſt. † Tertiò dico, quòd in d. relatione
noluerunt Conſiliarii intelligere de facultate
alienandi bona in forenſes, cum in vigeſimo
capitulo d.ſententiæ conceſſerint d. Comiti
poſſe facere proclamata iux. ſolitum & conſue-
tum aliorum Comitum, qui poſſunt prohibere
d.alienationes, aliàs dicti Conſiliarii ſibi fuiſ-
ſent contrarii, quod non eſt dicendum. argum.
l.1.C.de inoff. dot. nam facile fuiſſet eis dice-
re, ꝙ poſsit proclamare iuxta ſolitum aliorum
Comitum, præterquam in prohibendis aliena
tionibus bonorum in forenſes. Igitur cum hoc
non dixerint Conſiliarii nec nos dicere debe
mus, l.ſi uerò.§.de uiro, ff.ſolut.mat. & remanet
d.Comiti ꝑmiſſum facere. Quartò dico, cū di
ctū ſtatutū uetus nō loquatur ſimpliciter de a-
lienatione permiſſa in forenſes, ſed cum d.qua
litatibus, quòd ſoluant collectas, & ſuſtineant
onera pro terris, & ꝙ illæ ſint pro eis obligatæ,
23 † debuerunt homines prædicti dictas quali-
tates probare in ſtatuto poſitas, ſi eo nitunt, ut
eſt doctrina Bartoli in l.1.§.1.ff.ne quid in flu.
pub.Ioan.And.in c.1.de homic.lib.6. Alexan.
conſi.161.in prin.uol.5.Dec.conſil.18.conſil.
356. & conſi.550.nu 4.Marſ.ſing.187.Rub.con
ſi.16.nu.14. & D.meus Rimi.conſil.114.nu.8.
quod cum non fecerint, ſuccumbere debent.l.
qui accuſare.C.de eden.

Quintò quoque fortius ego reſpondeo, ꝙ
cum poſt relationem prædictam de anno 1535
& monitionem principis ſecutam uenerint ad
litem dicti homines de anno 1542.cum dicto
Comite Ioan. Antonio, & in ea fuerit con-
demnatus ad obſeruandum dictis hominibus
ſtatuta edita tempore Ducatus Ducis Borſii, in
ter quæ aderat ſtatutum plenius prohibitiuū
dictis hominibus alienationis bonorum ſuo-
rum in forenſes, ut mox dicam. Et ſubinde gra
tia ſeruandi æqualitatem inter dictum Comi-
tem & ſuos ſubditos fuerint illi condemnati
ad recipienda & obſeruanda eadem ſtatuta
ſequi-



24 † ſequitur per dictum ſtatutum ſublatum
fuiſſe uetus illud, quo nituntur homines
prædicti, quatenus hoc illi repugnat, aut
ſecus loquitur, §. ſed naturalia, in fine, in-
ſtitutione de iure natura. at hoc ſtatutum,
quod pro ſe Comes adducit, diſponit, quòd
nulla perſona dicti Comitatus poſſit ven-
dere terras alicui perſonæ non ſubiectæ, &
non exiſtenti & habitanti in dicto Comita-
tu, vel non ſoluenti collectas cum dicto Co-
25 mitatu. † quæ qualitates cum per ſe prin-
cipaliter copulentur, quælibet ex eis pro-
ducit effectum incapacitatis, & ſufficit eam
verificari ad excluſionem acquirentis, iux-
ta doctrinam Bartoli in l. 1. ff. de his, qui
notantur infam. ſicque declarat in termi-
nis ſtatuti Regii Decius conſil. 661. colum-
na prima. & in noſtro Ferrariæ Ruinus con
ſilio ducenteſimo, numero decimotertio
26 & decimoquarto, volum. ſecundo. † Po-
ſito igitur, quòd emptores pro terris colle-
ctarentur in dicto Comitatu, prout inua-
luit in Italia conſuetudo, ſecundùm quòd
teſtatur Bartolus in l. prima, columna quin-
ta, numero decimonono, C. de muli. & in
quo loco, libro decimo. Alexander conſilio
ſexageſimoſeptimo, viſo. columna quarta,
volumine ſecundo. Baldus in l. etiam. co-
lumna penultima, C. de executo. rei iudi-
ca. Curtius iunior conſilio ſexageſimopri-
mo, numero ſeptimo. & Crauetta conſilio
ducenteſimoprimo, numero decimoquar-
to, tamen ſatis eſt ad eorum incapacitatem
& ſuam excluſionem, quòd non ſint ſub-
diti, vel quòd non exiſtant nec habitent in
dicto Comitatu. Deinde progreditur ſta-
tutum annullando venditionem, & aliena-
tionem, poſtea ſubdit, non obſtantibus
aliquibus in contrarium facientibus, qui-
bus derogatum eſſe intelligatur per præſens
27 ſtatutum. † Nam cum dictum ſtatutum
vetus non habeat clauſulam derogatoriam,
per dictum ſecundum ſiue poſterius cum di-
cta clauſula generali dicitur ſublatum: quo-
niam etiam ſine ea, nullaque mentione fa-
cta diceretur ſublatum, vt tradit Caſtren-
ſis in l. humanum. C. de legibus, poſt prin-
cipium. nam quæ ponit ibi Baldus, & latè
Felynus in c. nonnulli, ſub numero quin-
to, de reſcriptis, procedunt in lege vel ſtatu-
to, priori habente clauſulam derogatoriam,
non autem ſimplici, qualis eſt caſus no-
28 ſter: † vnde ſine dubio per hoc ſtatutum
poſterius dicitur illud primum ſimplex ſu-
blatum, per regulam legis pacta nouiſſima,
C. de pactis, cum vulgaribus, quòd vlti-
ma derogant prioribus.

Remanet igitur ex prædictis iuſtificatus
primus modus, quo remanet ſublata dif-
ficultas excitata de monitione ſeruandæ
conſuetudinis antiquæ dictis hominibus,
quòd velut incerta dicta monitio non con-
cludat in hac de alienatione in forenſes per-
miſſa, cum de alia potuerint relatores, &
29 Princeps ſentire, † & probatio quælibet
debet eſſe concludens, l. neque natales, C.
de probationibus, aliàs contra facientem
eam fit interpretatio, c. in præſentia. cum
vulgaribus, de probationib.

Nec per Dominos Conſiliarios ſucceſſo-
res illorum poteſt declarari, aut ſi poteſt,
vigore dicti ſtatuti veteris non poteſt, non
probatis eius qualitatibus, eoque per alium
poſterius ſublato, prout ſigillatim ſuperius
deduxi.

Secundus modus quoque, quo difficul-
tas prædicta penitus euacuatur, eſt, quòd
cùm poſt monitionem prædictam deuene-
rint partes ad litem coràm Magnifico Con-
ſilio de Anno MDXLII. quod in vi-
geſimo Capitulo ſuæ ſententiæ determina-
uit, dictum Comitem poſſe facere proclama
ta & cridas iuxta ſolitum & conſuetum alio-
rum Comitum. Rurſusque idem Conſi-
lium de Anno MDXLIII. condemnaue-
rit dictos homines ad recipienda & conſer-
uanda ſtatuta locorum dicti Comitis, inter
quæ adeſt hoc ſupradictum, De non alienan
dis bonis immobilibus in forenſes. Quin
(& fortius) homines prædicti de Anno
MDLXII. & MDLXVII. inſteterunt ſer-
uari ſtatuta per eos exhibita ab Officialibus
dicti Comitis. demumque Comes proba-
uerit alios Comites ſic proclamari ſolitos.
Sequitur, quòd homines prædicti dicuntur
renuntiaſſe dictæ monitioni, patiendo, ꝙ
iterum cognoſceretur ſuper dicta facultate
30 proclamandi. † Clarum enim eſt, quòd
rei iudicatæ renuntiari poteſt, nedum ex-
preſsè, ſed etiam tacitè: quia ſi fuerint ad-
miſſæ probationes in contrarium, parte non
opponente, Iudex debet primam ſententiam
quæ tranſiuerat in rem iudicatam, reuoca-
re & retractare: videtur enim tunc pars, quę
ſententiam obtinuerat, tacitè renuntiare di-
ctæ ſententiæ, quod facere poteſt. l. iuriſg.
§. ſi paciſcar. ff. de pact. Ita notabiliter vo-
luit Innocen. in c. cum dilecta. de reſcript.
& in c. cum Bertoldus, de re iudica. ſequi-
tur Alexander in l. Iudex poſtquam. fallent.
6. ff. de re iudica. numero 8. Butrius conſi-
lio 27. columna tertia. Abbas conſilio 89.
columna tertia, lib. primo. Romanus con-
ſilio 174. columna finali, & ibi Mandoſius
in apoſtillis, Decius in l. res iudicata, ff. de
regulis iuris. quare ſuper dicta monitione
nullum fundamentum facere poſſunt homi-
nes iſti. Et ita ſublatis omnibus, rema-

net vt iudicandum ſit ad fauorem dicti Comitis, vt etiam Magnifici Domini Conſiliarii conſiderabant.

*Hippoly. Rimin. Ferrar.*

## Pro magnifico Domino Iacobo Trotto nobili Ferrariæ.

### ARGVMENTVM.

Diffuſè ponitur, an matrimonium per nobilem cum muliere uili contractum ualeat & proſit filiis antea natis ad excluſionem ſubſtituti. Item nunquid filii legitimati per ſequens matrimonium ſubſtitutum excludant, quando teſtator dixit, ſi quis deceſſerit ſine filiis legitimis & naturalibus ex legitimo matrimonio, quæ luculenter & doctè tractantur, ut nihil melius.

### SVMMARIVM.

1 *Legitimatus per ſubſequens matrimonium excludit ſubſtitutum alicui, ſi deceſſerit ſine filijs de legitimo matrimonio natis.* 23.
*Sed auctor contra.* 25.
*Et longè plures.* 94.
*Qui communem teſtantur.*
*In Senatu Mediolani bis terq́ iudicatum.* 95.
2 *Capitulum innotuit. & cum in cunctis, de delectione, procedunt in diſpoſitione legis, non autem hominis.*
*Sed Alciat. contra.* 3.
*Cui replicat auctor.* 96.
2 *Lex facilius moderatur ſuam diſpoſitionem quàm hominis.*
*Quod auctor confirmat.* 100.
3 *Verba teſtatorum referuntur ad ius.*
*Et ad intellectum iuris.*
*Quod quando procedat declaratur.* 103.
4 *Teſtator præſumitur ſe voluiſſe conformare cum diſpoſitione iuris communis.*
*Quod procedit in dubio, ſecus in caſu claro.* 107.
*Et facilè recedi ſolet ab ea præſumptione.* 114.
*Debilisq́ reputatur, nec ſola ſufficit.* 115.
4 *Filij nati in figura matrimonij ſubſtitutum excludunt vocatum, ſi quis deceſſerit ſine filijs natis ex legitimo matrimonio.*
*Licet ex adulterio ſint nati.* 5.
*Et cur id procedat declaratur.* 116.
6 *Verba ſi deceſſerit ſine filijs, trahuntur ad nepotes. Et quare.* 119.
*Etiam ſi dictum fuerit ſine filijs ex ſuo corpore natis.* 7. *& quare.* 121.
*Si verò de proximioribus dictum ſit, veniunt etiam fratris filij.* 8.
*Et quare procedat.* 126.
9 *Legitimatus per ſequens matrimonium admittitur in materia loquente de filijs ex legitimo matrimonio natis tertio non præiudiciali.*
10 *Fideicommiſſarius dicitur habere ius in ſpe probabili conſiſtens, antequam veniat conditio fideicommiſſi.*
*Vnde poteſt petere cautionem de reſtituendo ſibi purificata conditione.*
11 *Legitimatio non trahitur retro in præiudicium tertij.*
12 *Matrimonium intermedium mulieris poſtea mortuæ non impedit legitimationem filij ante illud nati, ſi concubina ducatur vxor.*
13 *Legitimatus per ſequens matrimonium contractum cum concubina non præfertur alteri filio nato prius ex legitimo matrimonio, poſt illum tamen ex concubina.*
14 *Legitimatio filij naturalis per ſequens matrimonium non præiudicat fratri, cui feudum fuerat renunciatum.*
15 *Subſtituto dicitur ius probabile quæſitum mortuo teſtatore.*
26 *Legitimatio per ſequens matrimonium operatur in præiudicium tertij.*
*Vt in caſu legis ſi vnquam. C. de reuocan. dona.*
*Cur autem id procedat declaratur.* 131. 133.
17 *Verba ſi deceſſerit ſine filijs legitimis & naturalibus ex legitimo matrimonio, poſita videntur ad excluſionem legitimatorum per reſcriptum.*
*Sed contra, quòd etiam ad excluſionem legitimatorum per ſequens matrimonium.* 134
18 *Verba de filijs legitimis & naturalibus ex legitimo matrimonio, nō reſpiciūt natiuitatem, nec ad eam videntur referri, & ob id legitimatis ſequenti matrimonio conuenire videntur.*
*Sed auctor contra, cum verbum natis ſuppleatur & tacitè ſubintelligatur.* 144.
*Et exempla doctorum de filijs ex legitimo matrimonio natis ſunt expreſſio eius quod tacitè ineſt, quæ nihil operatur.* 145
19 *Matrimonij ſubſequentia tollit omnia vitia præcedentia.*
*Quod procedit quò ad officia, dignitates, vel honores, non autem quò ad ſucceſſiones, in quibus alteri ius ſit quæſitum.* 151.
20 *Legitimatio per ſequens matrimonium dicitur fieri per fictionem translatiuam, nam matrimonium retro trahitur & contractum fingitur ante natiuitatem filiorum.*
*Quæ fictio quando cenſeatur excluſa per teſtatorem declaratur.* 152.
21 *Legitimati per ſequens matrimonium verè & naturaliter dicuntur filij legitimi ſecundùm legem naturæ.*

*Quod*



*Quod vbi non procedat declaratur.* 153.
22 *Legitimati per ſequens matrimonium nati dicuntur ex ijſdem matrimonijs cum poſtea natis. in l. cum quis. C. de nat. lib.*
*Sed contra per auctorem declarando illum textum.* 255.
24 *Pater in minoribus conſtitutus legitimare poteſt filios per ſequens matrimonium.*
*Licet eſſet beneficiatus.*
25 *Teſtes de auditu contracti matrimonij non probāt.*
*Et nominare debent ſaltem duos à quibus dici quid audiuerint, vt probent.* 26.
*Nec vnum ſufficit nominare.* 27.
*Etiam ſi dicatur & a pluribus alijs audiuiſſe, non nominando à quibus.* 28.
*Et eoſdem non diuerſos debent nominare.* 29.
*Et tales teſtes debent eſſe graues, & bonæ famæ.* 30.
*Et omni exceptione maiores.* 31.
32 *Teſtes interrogati de cauſa ſcientiæ eam non reddentes non probant.*
*Et tanquam pecora dicuntur deponere, non vt homines.* 33.
34 *Matrimonium ſequens inter virum nobilem & mulierem vilem non legitimat filios quò ad ſucceſſionis effectum.*
*Quæ ſententia ſingularis eſt & magna.* 36.
*Et à nemine improbatur ſecundùm Rui.* 37.
*Immo verò communis eſt.*
*Cui tamen contradicit Nicolaus de Vbaldis* 40. 41. 42.
*Quem refellit auctor.* 49.
*Item Bal. & Iaſon.* 44.
*Et Siluanus.* 46.
*Quibus auctor reſpondet.* 49. 54. *cum ſequentibus.*
35 *Aduocatus contra dicentes ſe legitimatos ſequenti matrimonio qualiter debet eſſe cautus.*
38 *Pater habens filium naturalem ſimpliciter eum filium nominans in teſtamento, dicitur eum legitimare.*
*Quod procedit, ſi concubina talis erat, cum qua ſecundùm bonos mores ciuitatis honeſtè contrahi potuiſſet matrimonium.* 39.
*Quod de iure ciuili procedit ſecus de iure canonico* 45.
*Quò tamen ad ſuccedendum in bonis proprijs patris, ſecus in alienis, quibus quis eſt grauatus onere fideicommiſſi.* 55.
41 *Matrimonium cum ſerua contractum valet de iure canonico.*
*Item cum meretrice.*
*Immo verò etiam de iure ciuili per illud cum ſerua vel meretrice contractum filij legitimantur. ſecundùm. Iaſ.* 44.
*Nec propter imparitatem perſonarum reprobatur aut ignominiam.* 46.
*Sicq́ conſuetudine receptum videtur.* 48.
*Quæ non procedunt in bonis fideicōmiſſi diſpoſiti per alium quàm per patrem.* 49.
*Sed tantum quò ad ſuccedendum in bonis proprijs.*
42 *Legitimantur filij per matrimonium ſequens cum vili muliere, dotalium inſtrumentorum interuentu.*
43 *Legitimari poſſunt omnes per ſequens matrimonium, præter vulgò conceptos.*
46 *Perſonarum ratio nulla habetur penes Deum, quod declaratur.* 57.
*Mulier dicitur ſatis nobilis honeſtate morum prædita.* 48.
*Intellectus §. ſed & aliud, in auct. quib. modis nat. eſſi. legi.*
*Et per auctorem pulcrè.* 50.
*Legitimatio per reſcriptum fieri poteſt uiuente patre non citatis agnatis quò ad bona patris, ſecus quò ad ſubiecta fideicommiſſo, quibus grauatus ſit.*
50 *Fideicommiſſo grauatus non poteſt per legitimationem ſubuertere ius fideicommiſſi.*
51 *Legitimatus excludit ſubſtitutum, ſi citatus fuit ſubſtitutus.*
52 *Primogenitus naturalis legitimari non poteſt ad excluſionem ſecundogeniti legitimi non requiſiti.*
53 *Intellectus c. tanta, qui fil. ſint legi.*
54 *Canones non dedignantur leges imitari.*
55 *Senatus Pedemon. deciſ.* 154. *in fine pulcrè declaratur.*
54 *Capitulo recurrat.* 32 *quæſtione* 3. *declaratur aduerſus Iaſonem.*
58 *Conſuetudo non elicitur ex ſeruatis diuerſo modo, ſed iuri ſcripto ſtatur.*
58 *Mulieris vilitas qualiter ſit conſideranda declaratur.*
58 *Matrimonium inter impares contractū de iure canonico non operatur in materia ſucceſſionis, in qua ius ciuile attenditur.*
60 *Teſtatoris mens totum facit.*
60 *Verba ex legitimo matrimonio, in conditione ſubſtitutionis poſita videntur, ne ſubſtitutus natus ex legitimo matrimonio excludatur per legitimatos.*
*Quod qua ratione dici debeat pulcrè ſubijcitur.*
61 *Verba ſi deceſſerit ſine filiis legitimis & naturalibus ex legitimo matrimonio, ſic repetita & geminata, cēſentur appoſita ad excludendos legitimatos per ſequens matrimonium.*
*Idq́ maximè procedit, ſi fuerit in alijs partibus teſtamenti replicatum.* 62.
63 *Verba legitimè natus, vel ex legitimo matrimonio natus, procedunt à pari.*
64 *Legitimatus non excludit ſubſtitutum ſi deceſſerit ſine filiis legitimè natis.*
*Quæ ſententia communis eſt, nec ab ea in iudicando recedendum.*
*Proceditque eſſe in legitimato per ſequens matrimonium per rationes doctorum, quæ in eo militant.* 66.
67 *Qualitas adiecta verba intelligitur ſecundùm tempus*

pus verbi.69.
Circa quam regulam Sfortia Oddo deceptus . 84.
Vt oſtendit auctor.87.
68 Legitimatio dicitur Alchimiæ ſimilis . Et eſt quid arduum & monſtruoſum.
70 Conditio tacita videtur ineſſe natiuitati filiorum ex concubina,ſi deſponſetur.
Quæ ſecuta retrotrahitur, & facit vt dicantur legitimè nati tunc.
Sed contra per auctorem.71.
71 Conditio caſualis vel mixta non dependens à mera voluntate debitoris in contractibus retrotrahitur.
At in vltimis voluntatibus ſecus.
72 Feudum conceſſum Titio & hæredibus eius ex ſuo corpore legitimè deſcendentibus,comprehendit legitimatum per ſequens matrimonium, & qua ratione procedat, ſupra colligitur.
73 Intellectus , l.qui balneum.§.ſed ſi hæres,ff.qui pot. in pignor.habe.
74 Intellectus l.Neratius, ff.mand.
75 Legitimatio per ſubſequens matrimonium non retrotrahitur quantum ad interpretandam voluntatem teſtatoris.
76 Legitimati per ſequens matrimonium dicuntur legitimè nati,quia lex præſumit vſque ab initio fuiſſe matrimonium.
Super quo diligentius auctor procedit.77.
77 Præſumptio cadit ſuper dubio , fictio verò ſuper certo.
78 Præſumptio ceſſat, vbi conſtat de veritate.
79 Matrimonium retrotrahi non eſt per viam præſumptionis ſed fictionis.
80 Legitimatio reſtituit in integrum ſicut ius poſtliminij.
81 Retrotractio de tempore ad tempus non fit niſi ſecundùm fictionem.
82 Legitimatio non tantùm poteſt nec tam late porrigitur,vt legitimatus dicatur verè legitimus originaria legitimitate in ſpecie, quæ ex matrimonio procedit.
83 Potentia nulla eſt ad præteritum ſtatum mutandum.
84 Conditio cuiuſq; non quæritur priuſquam hæreditas ad eum perueniat.
Sed contra tenet auctor.85.
85 Capacitas hæredis requiritur etiàm tempore teſtamenti , nedum mortis & hæreditatis adeundæ.
86 Intellectus , l.non oportet , ff. de legatis ſecundò , & l.interuenit , ff. de lega. præſtan.
87 Conditio debet impleri in forma ſpecifica.
88 Legitimati per ſequens matrimonium non veniunt in feudo conceſſo pro filijs legitimè deſcendentibus.
Saltem ſi concepti & nati fuerint ante matrimonium.89.
Secus in conceptis ante.& natis poſt.
90 Opinio reducens alias ad concordiam tenenda eſt.
Et in iudicando ſequenda.91.
92 Legitimatio non retrotrahitur in præiudicium tertij.
93 Conceptio facit cenſeri natum ad commodum ſuum non ad incommodum.
96 Legitimatus per ſequens matrimonium venit in diſpoſitione legis loquẽtis de natis ex legitimo matrimonio.106
Secus in diſpoſitione hominis vt teſtatoris , licet Decius contra.98.
Quem refellit auctor. 99.
97 Verba teſtatoris debent intelligi verè , naturaliter non ciuiliter nec per fictionem.
98 Caſtrenſis in l.finali.C.de his qui ven. ætat. declaratur.99.
100 Verba legis quandoque recipiunt interpretationem iuris,ne reſultet aliarum legum correctio.Secus in verbis hominis.
101 Diſpoſitio hominis ſtrictius interpretatur,quàm diſpoſitio legis.
102 Lex facilius trahitur ad caſum fictum quàm diſpoſitio hominis.
103 Baldus in l.Gallus.§.quidam rectè.ff.de libe. & poſthumis declaratur
103 Inſtitutio nepotis nulla mentione filij facta cenſetur eo caſu quo fieri poterat & debebat præmortuo patre.
104 Voluntas teſtatoris debet attendi .
105 Lex perſequitur voluntatem teſtatoris, vt venator leporem.
105 In ore & mente præſumitur eſſe vnum & idem.
105 Voluntas hominis conſiſtit in verbis , ſicut facies in ſpeculo.
108 Dictio ex,denotat principium temporis & cauſam proximam.
109 Legitimatus per matrimonium conſequitur legitimitatem poſt illud.
Quod comprobat auctor.
110 Incluſio vnius temporis eſt alterius excluſio
111 Legitimatio omnis eſt præpoſtera,& macula eſt impreſſa origini.
112 Verba ex legitimo matrimonio,reducta ad vulgare ſunt hæc,de legitimo matrimonio.
Ergo non poſſunt verificari in filijs legitimatis per ſequens matrimonium.
112 Dictio de,denotat cauſam materialem.
112 Hæres grauatus reſtituere hæreditatem ſi deceſſerit ſine filijs de legitimo matrimonio natis, nõ tenetur legitimato per ſequens matrimonium.
113 Verba ſine filijs legitimis & naturalibus ex legitimo matrimonio,denotant ad excluſionem ſubſtituti filios eſſe debere ſecundùm leges & naturam ex legitimo matrimonio.
Quales non ſunt legitimati per ſequens matrimonium.
116 Matrimonij quaſi poſſeſſio & opinio colorata tantùm operatur,quantùm veritas matrimonij.
Nec attenditur adulterium,velut non ex animo cõmiſſum propter bonam fidem.117.

Volun-



118 Voluntas & propoſitum deſtingunt maleficia.
110 Nepos ſuccedens in locum patris ſui intelligitur ſuccedere in gradu proprio ſuorum parentum.
122 legitimatus cum hoc,quòd vt agnatus efficiatur,intelligitur non extantibus alijs agnatis.
123 Monaſterium excludit ſubſtitutum,ſi grauatus deceſſerit ſine filijs ex ſuo corpore natis,& qua ratione.124.125.
127 Proximus dicitur,quem nemo præcedit.
128 Illatio non fit de diuerſis ad diuerſa.
128 Vulgaris ſubſtitutio ſi hæres non erit quomodo verificetur.
129 Legitimatus per ſequens matrimonium admittitur in caſu.c.innotuit, de elect. quia non agitur de præiudicio tertij.
Quod auctor tuetur aduerſus Alciatum.
130 Scrutinio publicato variare nequeunt electores.
130 Electio tres habet partes, electionem,confirmationem,& conſecrationem,item continet ſcrutinium & publicationem.
131 Lex vna per aliam deſtinguitur.
132 Donatio facta à carente liberis intelligitur habere tacitam conditionem,ſi non ſuſceperit liberos.
133 Donatum ſub vna conditione videtur ademptum ſub contraria conditione.
135 Verba de filijs legitimis & naturalibus comprehẽdunt legitimatum per ſequens matrimonium & ſubſtitutum excludunt.
136 Teſtatoris non intereſt, an admittantur nati ex legitimo matrimonio vel per illud ſubſequens legitimati,ſed contrarium probat auctor.137.rationem adducens vt per eum.
138 Legitimati quicunque debent reuerentiam legitimè natis.
Nec debent ad vnam menſam ſedere.
Faciliusq; datur vxor natis ex iuſtis nuptijs quàm legitimatis.
139 Venetorum Reſpublica nouior Roma nuncupatur.
139 Legitimati non admittũtur in Conſiliũ venetorũ.
140 Honoris intereſſe maximum eſt.& de iure multum conſiderabile.
140 Iniuriam verbulem licet verbis reppellere.
Immo etiam factis.
140 Nobilis inſultatus à ruſtico poteſt eum percutere.
Cum fugere non poſsit ſine detrimento famæ.
141 Maritus cũ fratribus vxoris licitè poteſt eius amaſium percutere.
142 Virginius honorem filiæ eius vitæ præponendum putauit.
142 Honorem non minus quàm uitã æſtimare dẽmus.
142 Vaſallus priuatur feudo, uitam uel famam domini non defendens.
143 Honorem defendere honeſtum eſt ſicut vitam.
144 Verbum natis,ſubintelligitur in illis ex legitimo matrimonio.
145 Expreſsio eius quod tacite ineſt nihil operatur.
145 Verba ſine filijs legitimis & naturalibus,non requirunt natiuitatem ad inducendam legitimitatem.
Secus adiectis ex legitimo matrimonio.146.
147 Præpoſitio de,denotat cauſam materialem, item proximam & immediatam.148.
149 Dictio ex,denotat cauſam proximã & immediatã
150 Decius conſi.155.in fi.declaratur.
151 Matrimonium ſequens non operatur quin macula fuerit in generatione.
152 Legitimatio per reſcriptum abſtergit maculam præcedentem.
152 Teſtator requirens filium legitimè natum excludere voluit omnem fictionem.
154 Tempus vnũ non recipit alterius determinationẽ.
155 Intellectus.l.cum quis.C.de nat.liber.
Qui confirmatur alibi per auctorem.156.
Et de quibus filijs loquatur.158.
Item legitur in pandectis, ſed qui ex eiſdem maioribus procreati ſunt.165.
157 Lex cum quis.C.de naturlib.ad fauorem legitimati per ſequens matrimonium contra ſubſtitutum per neminem citatur præter Anguſſolium,frigidè tamen & inſipidè.
159 Aequiperatio procedit in caſu æquiparato & non aliter.
160 Aliud eſt eſſe talem & haberi pro tali.
161 Succeſsionem decor conſeruatur per legitimè natos, ſecus per legitimatos ſequenti matrimonio.
162 Verba in dubio ſunt intelligenda naturaliter & non accidentaliter.
163 Veritas cæteris reiectis eſt ſequenda & ei locus eſſe debet.
Omnium namque fortiſsima eſt, 164.
Et mater iuſticiæ.
166 Cyn.in l.nuper.C.de nat.lib.declaratur.
167 Decius parum ſibi conſtans fuit,an legitimatus per ſequens matrimonium ſubſtitutum excludat, vel potius excludatur à ſubſtituto.
168 Pariſius conſ.13.& 15.vol.2.declaratur.
169 Alciat.de uerb.ſig.lib.3.& alibi uarius fuit , quandoque pro legitimato, quandoque contra eum.
170 Crotus in §.& quid ſi tantùm.loquitur in diſpoſitione ſtatuti & ſic legis,non autem hominis.
171 Doctorum numerus nõ augetur ex illis qui in fonte uideri non poſſunt.
172 Decius conſi.284.nu.9.declaratur.
172 Legitimatus per reſcriptum excludit ſubſtitutum alicui.ſi deceſſerit ſine filijs legitimis.
Secus dicto ſi deceſſerit ſine filijs legitimè natis.vel ex legitimo matrimonio.
173 Boerius deciſ.159.nu.20.declaratur.
173 Dictum doctoris intelligi debet ſecundùm allegata per eum.
174 Matrimonium cõtractũ in articulo mortis valet.
Et per illud filij legitimantur.
Niſi contractum fuerit in fraudem ſubſtituti.
Quod in dubio præſumitur.
175 Caſtrenſis in l.fi.C.de his qui uen.& declaratur
176 Imola in c. innotuit, de electi.declaratur.
177 Legitimatus per ſubſequens matrimonium ſuccedit in feudo conceſſo pro filijs ex legitimo matrimonio natis,ſecus in fideicomiſſo.
Quod qua ratione procedat declaratur.178.
177 Verba inueſtituræ interpretantur in fauorem vaſali contra dominum concedentem.
178 Feudum non prætextu pecuniæ ſed amore & honore

*nore Domini præſtatur.*
*Et dicitur beneficium quod ex beneuolentia proce-*
*dit & datur.*
179 *Donatio procedit affectionis gratia.*
180 *Merita præceſſorum tranſeunt ad poſteriores.*
*Etiam ſi deſcendentes eſſent rei criminis.* 181.
182 *Appius cum in vincula duceretur ſuorum maio-*
*rum merita memorabat, vt pœnam deprecaretur.*
183 *Pherenice meritis ſuorum maiorum fuit abſoluta.*
184 *M. Poſthumius* 10. *mill. condemnatus ob memoriã*
*Connati patris fuit abſolutus.*
185 *Plautio Laterano pœna mortis remiſſa fuit ob pa-*
*trui meritum egregium.*
186 *Hæreditates deferuntur iure legitimæ ſucceſſionis*
*quæ cauſatur ex legitimo matrimonio.*
187 *Teſtator dicens ſi filij deceſſerint ſine filijs legi-*
*ti. & natur. & ex legiti. matrimonio natis, de qui*
*bus intellexerit.*
188 *Verba ſic intelligi debent, vt aliquid operentur.*
*Aliàs ludibrio cenſerentur appoſita.* 189.
*Quod dici non debet.*
*Immo debet intelligi impropriè & contra eorum na*
*turam potius, quàm quòd nihil operentur.* 190.
*Etiam ad correctionem iuris communis.* 191.
192 *Caſtrenſis conſi.* 180. *n.* 15. *vol.* 1. *declaratur.*
193 *Ripa in l. ex facto. §. ſi quis rogatus. ff. ad Treb. nu.*
47 *pro ſubſtituto facit non confectis inſtrumen-*
*tis dotalibus.*
194 *Doctores in quæſtione de legitimato per ſequens*
*matrimonium, nunquid excludat ſubſtitutum ſi*
*deceſſerit quis ſine filijs ex legi. matrimo. natis, non*
*omnes in terminis eius loquuntur.*
195 *Conſilium collegij Patauini pro legitimato contra*
*ſubſtitutum declaratur quomodo procedat.* 196.
*Immo periculoſum reputat illud auctor* 200.
197 *Legitimatio per ſequens matrimonium cæteris ple*
*nior & efficacior reputatur.*
198 *Argumentum à minori ad maius non procedit,*
*quando quod minus uidetur, eſt in veritate maius*
*aliquo reſpectu*
199 *Equum magni valoris quandoque quis dare poteſt*
*non autem Capram.*
201 *Legitimatus per reſcriptum non excludit ſubſtitu-*
*tum alicui, ſi deceſſerit ſine filijs legitimè natis vel*
*ex legi. matrimonio.*
*Quæ deciſio ueriſſima eſt & communis.*
202 *Clauſula motus proprij non operatur in præiudi-*
*cium tertij.*
*Nec clauſula ex certa ſcientia.* 203.
*Nec alia de plenitudine poteſtatis.*
204 *Legitimantis voluntas non debet valere in præiu-*
*dicium ſubſtituti.*
205 *Socinus Iun. unus ex quatuor relatoribus noluit*
*ſubſcribere conſilio collegij Patauini.*
206 *Sfortia Oddo dixit auctoritates eſſe pares pro legi*
*timato & pro ſubſtituto.*
*Et ideo tenendam opinionem in fauorem filiorum*
*& matrimonij Sed auctor contra.* 207.
208 *Voluntas teſtatoris eſt lex. Seruariq́; debet in om-*
*nibus.*

## CONSILIVM CCXXII.

*Auxilium meum à Domino.*

MAGNIFICI DD. Bartholomeus
& Iacobus Philippus fratres de
Barbalungis ſe inuicem inſtitu-
tis in teſtamentis concorditer fa
ctis, ſubſtituerunt morienti D. Ia
cobum & Paulum fratres de Trottis, & ſi alter
eorum quandocunque deceſſerit ſine filiis ma
ſculis legitimis & naturalibus ex legitimo ma-
trimonio, ſubſtituit eidem per fideicommiſ-
ſum alterum, vel alterius premortui filios ma-
ſculos, legitimos & naturales ex legitimo ma-
trimonio, & ſi ambo deceſſerint quandocun-
que ſine filiis maſculis legitimis & naturalibus
ex legitimo matrimonio, ſubſtituit ei quoſdam
de Vincentiis & præmortui, vel præmortuorũ
filios maſculos, legitimos & naturales ex legiti
mo matrimonio. Poſtea deceſsit Do. Paulus
Trottus relictis duobus filiis ab eo beneficiato
licet in minoribus conſtituto conceptis & na-
tis, demumq́ue per ſubſequens matrimonium
legitimatis, vnde ſuborta fuit inter eos contro
uerſia & D. Iacobum Trottum eorum patruum
quis eorum præferatur in bonis dictorum teſta
torum, & ſic an illi ſubſtitutum excludant. Vel
1 illi potius excludantur ab eo. † Et in primis di-
cendum uidetur D. Iacobum debere excludi
per doctrinam Imolæ in c. innotuit. de electi.
Decii in c. cum in cũctis, eo. tit. & in conſ. 155.
Ripę in l. ſi unquam. q. 32. C. de reuo. dona. &
in rub. ff ſi cer. pet. qui tenent, ſubſtitutionem
factam alicui, ſi deceſſerit ſine filiis de legiti-
mo matrimonio natis, deficere relictis filiis le-
timatis per ſubſequens matrimonium, prout
etiam tenet D. meus Riminal. conſi. 78. nu. 12.
& in ſimili diſpoſitione conſ. 226. mouẽtur per
dictum c. cum in cunctis. vbi non poteſt in Epi
ſcopum promoueri, niſi natus de legitimo ma
trimonio, & tamen legitimatus per ſequens ma
trimonium reputatur habilis, vt per Gloſ. Abb.
Butri. & alios in d. c. innotuit. quare ſic & in ca-
2 ſu noſtro dicendum uidetur. † Et licet Alex.
conſi. 5. uol. 7. poſt Butrium in c. per uenerabi-
lem. qui fil. ſint. leg. quos ſequitur D. meus Zuc
car. in pręludiis l. poſthumo C. de bon. poſſ. cõ-
tra tab. nu. 20. dixerint, illud procedere in di-
ſpoſitione legis, at ſecus dici debet in diſpoſi-
tione teſtatoris: quia lex facilius moderatur
ſuam diſpoſitionem quàm hominis, vt per Gl.
3 in l. aſſiduis. C. qui pot. in pigno. † Attamen Al
ciatus aduerſus Alexãdrum & ſequaces inſur-
git reſpon. 501. dicens quòd Alexandri reſpon
ſio fragilis eſt: quia regula eſt in contrarium,
quòd uerba teſtatorum referuntur ad ius, Bal.
in l. Gallus. §. quidam rectè. ff. de lib. & poſt. vbi
notat poſtremo loco, quòd uerba referuntur
4 ad intellectum iuris, † & præter eum confirma
tur,



tur, nam verba teſtatoris à iure communi reci-
pere debẽt interpretationem, & cum eo cenſe-
tur ſe uoluiſſe cõformare. Bar. in l. hęredes mei
§. cum ita. ff. ad Treb. exemplumq́; præcæteris
adferri poteſt in materia legitimationis, vbi
nati in figura matrimonii ſubſtitutum exclu-
dunt non alia de cauſa, quam ꝙ lex ipſa eos ha
bet pro natis ex matrimonio, à qua lege ver-
ba teſtatoris ſumunt interpretationem, vt per
Dec. conſ. 153. Soc. Iun. conſi. 39. & conſi. 63.
vol. 3. Rip. reſpon. 217. idem ergo in legitima-
5 tis par ſequens matrimoniũ dicamus, † tanto
q́ue magis, quòd ibi verba repugnant: quoniã
non ſunt nati ex legitimo matrimonio ſed ex-
adulterio, Capra conſi. 116. nec vmquam qua-
litatem legitimitatis aſſumpſerunt, at hic ſe-
cus, ubi ſi non verè nati ſunt ex legitimo matri
monio, ſaltem ea legitimitate donati ſunt, quę
6 par eſt legitimis natalibus. † Quinimò tanta re
putatur illa doctrina Bartoli & inconcuſſa, ꝙ
procedit licet aliquo modo verba repugnent,
vt ſi dicatur, ſi deceſſerit ſine filiis, diſpoſitio
trahitur ad nepotes. Aret conſil. 145. Cephal.
7 conſ. 16. † aut ſi dictum fuerit, ſine filiis ex ſuo
corpore natis ueniunt nepotes. Bald. conſ. 13.
vol. 3. in l. 1. nu. 3. C. de cond. inſer. Item uenit
monaſterium. Doct. in c. in pręſentia. de prob.
8 † Si uerò proximiores vocentur, venit etiam
fratris filius. Bald. in d. conſil. 13. Alex. conſilio
88. vol. 1. conſi. 124. vol. 7. Iaſ. conſi. 159. vol.
4. Alci. Reſpon. 670. Soc. conſi. 151. col. 2. vol.
4. & uerba ſi noluerit, non poterit, hęres non
erit, paria iudicamus. l. 1. cum ibi not. ff. de
vulg. licet diſsimilia ſint. Vnde periculoſa uide
tur omnino reſponſio Alexandri in allegato
9 conſ. 5. vol. 7. ſupra relata. † Nec etiam tuta vi
detur alia, quam ſecundo loco proponit ibi-
dem, dicens quòd in caſu notato per Gl. & Do
ctores in d. c. innotuit. non afferebatur præiu-
dicium tertio, licet legitimatus per ſubſequẽs
matrimonium poſſet admitti ad illam dignita
tem, ad quam vocabantur legitimè nati, ſe-
cus autem in caſu noſtro: quia fieret præiudi-
cium ſubſtituto per fideicommiſſum D. Paulo
ſi diceremus per talem legitimationem D. Ia-
10 cobum ſubſtitutum excludi † cui etiam ante
mortem Do. Pauli dicebatur competere ius ſal
tem conſiſtens in ſpe probabili: quia etiam an
tequam veniat conditio fideicommiſsi, dici-
tur fideicommiſſarius habere ius in fideicom-
miſſo conſiſtens in ſpe probabili, vnde poteſt
petere ſibi caueri de reſtituendo fideicommiſ
ſum eueniente conditione, quod petere non
poſſet, ſi ſpes eſſet improbabilis. l. cum Archi-
11 medoram. C. ut in poſſ. leg. † & ubi agitur de pꝛ
iudicio tertii legitimatio non trahitur retro. §.
liceat aliàs ſi quis ergo. in authen. quib. mod.
nat. effi. legi. ibi (& hoc facto exinde filios) &
ibi not. Ang. & patet ex not. per Ioan. And. in
reg. ſine culpa. de reg. iur. in 6. vbi concludit, ꝙ
legitimatio per ſubſequens matrimonium nõ
trahitur retro in præiudiciũ alterius; cui erat
quæſitum ius primogenituræ, exempli gratia.
Titius ex concubina filium ſuſcepit, deinde
cum alia matrimonium contraxit, ex qua pa-
riter alium filium procreauit, ea deinde mor-
12 tua in uxorem duxit eam concubinam † pro-
pter quòd filius inde ſuſceptus ſit legitimus,
cum medium illud matrimonium alterius mu
lieris legitimationem illius filii non impediat
ut tradunt Ioan. Andr. Petr. Anch. Butri. Abb.
Card. Floren. & Alexandrinus in c. tanta. qui
fil. ſint leg. cum pluribus cumulatis per Tira-
raquell. in tract. primigeni. quæſt. 34. col. 1. &
per Didacum in 4. Decretal. par. 2. cap. 8. §. 2.
13 num. 15. † talis enim legitimatus poſt legitimè
natum, licet primò natus, non pręfertur illi
uelut primogenitus, immo uerò ille huic præ-
fertur, quia talis legitimatio non trahitur re-
tro in pręiudicium ſuum, ſecundùm Ioann.
Andr. in d. reg. ſine culpa. quem plures ſequun
tur cumulati per Ruin. conſi. 92. num. 16. uol.
3. & infiniti propemodum per Tiraquell. in d.
q. 34. col. 2. demum nu. 43. vbi dicit, hanc par-
tem tenendam eſſe, quæ numero, & auctorita-
te, & ratione uincit, quam & communem fa-
tetur Didac. loco citato nu. 28. licet contrariũ
teneat, eamq́; ſequitur Garzias Hiſpa. in l. Gal
lus. §. & quid ſi tantùm, num. 167. ff. de lib. &
14 poſ. † ſicut & in ſimili quæſtione confirmat
Afflict. in c. 1. §. naturales. ſi de feu. fuer. cõtro.
not. 4. colum. penul. de quodam habente feu-
dum & filium naturalem, poſtea facto clerico,
qui feudum fratri refutauit, demum uerò filii
naturalis matrem in vxorem duxit, & ſic eum
legitimauit per ſequens matrimonium, con-
cludit enim Afflict. dictam refutationem per
talem legitimationem ſuperuenientem dicti fi
lii non reuocari: quia dicta legitimatio non
operatur in præiudicium tertii, ſicq́; dicti fra-
tris, cui ius erat quęſitum, citat Io. Andream
in d. reg. ſine culpa. & plures alios de quibus
15 per eum † ſic igitur in caſu noſtro dicamus, in
quo ius fuerat quæſitum D. Iacobo Trotto in
ſpe probabili tempore dictæ legitimationis
per ſequens matrimouium factæ per Do. Pau-
lum, veluti iam mortuis teſtatoribus, qui fidei
commiſſum fecerant, iuxta doctri. Bar. in l. is
poteſt. col. 3. verſ. ſed ſi eſſet. ff. de acqui. hære.
quem ſequitur Alex. ibi. & conſ. 94. col. pen. vo
lum. 1. conſilio 218. viſis uerbis. col. 2. uol. 2.
Dec. in conſ. 425. colum. 2. & Ruin. conſ. 60.
num. 16. uol. 3. quòd dicta legitimatio filiorum
D. Pauli retro trahi non debeat in præiudiciũ
D. Iacobi & per conſequens eum non excludi.
16 † Quoniam etiam prędictam reſponſionem di
uellit Alciat. in d. reſpon. 501. cum nimis re-
ſtringat textum in d. c. innotuit. ut non proce-
dat ſi de præiudicio tertii ageretur, tantoq́ue
magis quòd iſta legitimatio per ſubſequens
matrimonium operatur etiam in præiudicium
tertii, ſecundùm Bal. in l. 1. C. de inoff. don: vbi
vult